This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

MLt
16
80

WIDENER

HN YWJ6 2

Gm 3112

ML x 16.80

Harvard College Library

BOUGHT WITH MONEY
RECEIVED FROM THE
SALE OF DUPLICATES

ard 1882.

Digitized by Google

Brosch.

NARRATIO

DE

FRIDERICO TAUBMANNO

ADOLESCENTE.

SCRIPSIT ET EPISTOLIS EIUS

ILLUSTRAVIT

HENRICUS LUDOVICUS SCHMITT, PH. DR.,
GYMNASII, QUOD EST WEILBURGI, RECTOR ET PROFESSOR.

EDITIO ALTERA.

LIPSIAE,
IN AEDIBUS B. G. TEUBNERI
A. MDCCCLXI.

Digitized by Google

Harvard College Library
May 22, 1912
Duplicate money

ML t. 16,80

LIPSIAE TYPIS B. G. TEUBNERI.

Digitized by Google

PRAEFATIO.

Haec de Friderico Taubmanno narratio primum a. 1858 cum programmate gymnasii Hadamariensis edita est. Quae causa opusculi fuerit, in prooemio exposui. In hac altera editione non pauca sunt addita, multa mutata. Quum adolescentem Taubmannum depingere mihi proposuissem, professoris vitam summatim et paucis tantum modo versibus attigi. Annotationem si quis hic longiorem et non necessariam, alibi breviorem parumque sufficientem existimet, nihil impedio; aliud aliis probatur. Latinitatem Taubmanni ut non castigarem vel emendarem, consulto feci. Saepe quidem in iis peccavit, quibus nos hac nostra aetate non peccamus; sed tamen vereor, ne multi, qui nunc latine scribunt, si non singula verba, sed totus habitus et quasi color orationis spectetur, a Taubmanno longe superentur. Qua in re ego valde assentior Madvigio (Cf. praefatio eius ad Cic. de Fin. p. III. annot.), cuius verba ut meminerint harum rerum existimatores, et Taubmanni et mea causa h. l. rogaverim. Fabulas denique, quae satis multae etiam

Digitized by Google

nunc de Taubmanno feruntur et simul cum iocis eius facetiisque in circulis et conviviis narrantur, nullo modo repetere volui. Qui talia quaerit, Taubmanniana ista evolvat, quae semel commemorasse me fere poenitet: adeo maximam partem illepida sunt atque insulsa.

Scripsi Weilburgi m. Januar. a. MDCCCLXI.

H. L. S.

Digitized by Google

NARRATIO
DE
FRIDERICO TAUBMANNO ADOLESCENTE.

I. PROOEMIUM.

Quum ante hos quinque et viginti annos muneris scholastici candidatus a Friedemanno,[1]) praeceptore meo, non minus amanter quam honorifice invitatus essem, ut in paedagogio, quod tunc Weilburgi erat, privato suis auspiciis linguam graecam et latinam docerem, huius viri, quippe cui permulta deberem, voluntati et auctoritati hoc libentius obsecutus sum, quod ipse ab eo in literarum studiis adiuvari provehique posse mihi videbar. Nec ea me fefellit opinio. Vix enim Weilburgi domicilium meum collocaveram, quum a Friedemanno, qui miram quandam facultatem habebat et excitandi et stimulandi, in literarum quasi officinam me non tam ductum, quam raptum fere sensi, ut etiamnunc dubium mihi non sit, quin, si diutius cum tali ac tanto officinatore coniunctus fuissem, ex egregia illa librorum conficien-

1) Frid. Traug. Fr., natus anno superioris saec. XCIII. prid. Kal. Apr.; mortuus Idsteinii d. 2. m. Maj. a. 1853. Cf. Progr. gymn. Weilb. a. 1831. p. 4. — Eichhoff, Gesch. d. Weilb. Gymn. Weilb. 1840. p. 179 et 189. — Desideratur adhuc, qui quum vitam Friedemanni uberius enarret, tum fusius exponat, quantopere de scholis praecipue meruerit.

Digitized by Google

dorum[1]) arte ad me quoque aliquantulum pro ingenio meo redundaturum fuerit.

Sed alienum est ab hoc loco enumerare omnia, in quibus Friedemannus tunc mea, quantulacunque erat, opera aut usus est aut certe voluit uti; hoc vero unum, quod ad rem maxime pertineat, non praetermittendum videtur.

Inter varios, quos quotidie fere miscebamus sermones, quum in Fridericum Taubmannum aliquando incidissemus, Friedemannus multas habere se dixit huius viri epistolas, quas, si quem in iis legendis transcribendisque nactus esset adiutorem, typis vulgare vellet; satis enim eas, quae ederentur, dignas videri. Ego, qui iam antea multa de Taubmanno, faceto illo poesis professore Witebergensi, audissem, ut mihi epistolae illae inspiciendae ac, si non impar essem operi, legendae describendaeque traderentur, illico etiam atque etiam rogavi. Atque protulit Friedemannus volumen satis amplum, forma, quam vocant, octava, quod Witebergae, nisi fallor, tum quum rector ibi gymnasii esset, forte fortuna in manus suas devenisse diceret.

Vix autem credas, quanta mea aviditas fuerit libri illius accipiendi, quanta celeritas festinatioque inspiciendi ac pervolutandi. Verum enim vero lectionem aggressus, fervorem meum ad rem expediendam parum sufficere facile intellexi. Sunt enim hae epistolae, id quod primo fere aspectu vidi, non eae, quas misit scriptor, sed prima earum exempla, quae alteris exemplis transcriptis et missis retinere atque asservare voluit. Etiamsi igitur literarum formae et notae, quae utpote ab una manu

1) Verbum conficiendi si quis ambigue scriptum putet, ego h. l. nec laudare volui nec vituperare.

Digitized by Google

profectae, si non eaedem plane, attamen sui similes sunt, haud ita magnam legenti afferant difficultatem; adeo tamen multae insunt cuiusvis generis emendationes, liturae, additamenta, verborum traiectiones, ut saepissime, quid singulae notae vocesque sibi velint, quid tota enuntiata significent, quo quidque loco collocandum sit, vix erui posse videatur.[1]) Ac ne quid dissimulem, aliud tunc quidem accedebat impedimentum, idque non leve sane: in antiquis scriptoribus, Plauto praesertim, cuius verbis dictionibusque frequentissime utitur Taubmannus, ipse nondum satis eram versatus. Itaque fieri non potuit, quin lectio retardaretur multoque lentius, quam vellem, procederet. Nihilo tamen minus, quoniam eiusmodi difficultates habent quiddam, quod allectet potius animum quam deterreat, iam tum epistolas illas, quae in dies magis placerent, ad unam omnes legissem, nisi et loci et animi mutatio causa mihi fuisset, ut opus vix inchoatum non absolverem. Ne multa: reliqui Weilburgum, epistolaeque Taubmanni, quas profectionem parans reddideram, ex eo tempore plane neglectae oblivionique paene datae iacuerunt. Namque et Friedemannus consilium suum postea videbatur abiecisse, et ego, quum in alias disciplinas mihi incumbendum esset, quamvis Taubmannum diligere et amare coepissem, tamen de epistolis eius vix unquam cogitare potui. Itaque totam illam rem, tam longo intervallo interiecto, fere oblitus eram, quum utilissimus Jac. Bernaysii[2]) de J. J.

1) „Lectio ipsa quantam difficultatem habuerit, nemo credat, nisi qui ipse in ejusmodi negotio versatus fuerit.“ Th. Frid. Freytagius, Virorum doctorum Epp. Lips. 1831. praef. p. VIII.

2) Jos. Just. Scaliger. Berl. 1855. Praeter hunc Bernaysii

Digitized by Google

Scaligero liber ad me missus est. Quo in libro nimirum Taubmanni quoque, ut qui Scaligeri aequalis fuerit, mentio fit, nec vero ea admodum honorifica.[1]) Affert enim Bernaysius acerbissimum Scaligeri de Taubmanno iudicium[2]) ex Scaligeranis illis, quae vocantur secunda, quibus profecto non maior fides habenda est, quam plerisque aliis ** anis similibus.[3])

librum cf. de I. I. Scaligero Bernhardy, Grundr. d. Röm. Lit. ed. III. p. 109 et p. 127. „Scaliger — der Fürst der Philologen des 16. Jahrh."

1) Pag. 66: „Sogar dem ebenfalls in Wittenberg angestellten Taubmann suchte er [Scaliger] ein wenig unter die Arme zu greifen, ohne übrigens von diesem lustigen Erklärer des Plautus viel zu erwarten."

2) Pag. 184: „Taubmann est un fou, un pauvre prestre, son Plaute ne sera pas grand cas." „Effigies, quae est in Plauto Taubmanni, est Alexandri Magni, qui se filium dicebat Jovis Ammonis, qui cornutus pingebatur" rel. Vide ipsa Scaligerana in v. Taubmann (editio Colon. a. 1695. 8., de qua Bernaysius in suo libro p. 235).

3) „Nemo nescit, quot falsa de hominibus doctis prodita sint in istis Scaligeranis". Frid. Creutzer, Frid. Sylburgi Epp. ad P. Melissum. Francof. ad Moen. 1827. p. 11. — Similiter iudicat de hoc libro Freytagius l. l. p. 74. — Bernhardy, l. l. p. 111: „die „rücksichtslosen" Scaligerana". — Bayle, Dictionn. historique et critique. Amsterd. 1740. Vol. IV. p. 792 in v. Scaligerana: „Ce livre est écrit avec peu d'exactitude. Bien des choses y sont brouillées pitoiablement." Vol. II. p. 256. Daurat (Auratus) defenditur a calumniis (médisances) Scaligeri in Scaligeranis sec. — Quam inique, ne dicam maligne, omnino de Germania deque omnibus fere eius viris doctis Scaliger iudicare solitus sit, si Scaligerana in promptu non sunt, ex ipsius Bernaysii libro (p. 187 et 194) cognoscas. „Germani hodie valde fatui sunt et indocti." — „Les Allemands regardent le monde de travers." — Les Allemands ne se soucient

Digitized by Google

Mihi quidem, ut aperte dicam, quum hoc nomine narratiunculas de quibusvis hominibus collectas comprehendi reperio, nescio quomodo semper in mentem venit vox anus,[1]) quasi inde haec denominatio ducta vel orta sit. Taubmannus enim nec sacerdos fuit, nec homo fatuus, ut magnus ille Scaliger fertur dixisse, sed vir probus, pius, ingeniosus, doctus, nullo quidem modo cum illo suo detrectatore comparandus, at certe non infimus inter paucos saeculi XVI. et XVII. philologos, qui, ut antiquitatis studiis honos suus integer retineretur, omnibus viribus laborarunt lingaeque latinae barbariam in dies crescentem, quacunque poterant ratione, avertere et propulsare conati sunt.

Atque iniquum illud Scaligeri de Taubmanno dictum quum in memoriam mihi reduxisset illas Taubmanni epistolas, ex Friedemanno filio, qui in paedagogio, quod Dillenburgi est, munere scholastico fungitur, per literas quaesivi, quid illis epistolis post mortem patris factum esset. Is vero paucis diebus post non solum humanissime respondit, verum etiam librum illum Taubmannianum liberaliter ad me transmisit. Quem quum multo accuratius, quam olim, inspexissem, visus est mihi ille quidem non tanti, quanti Friedemannus pater eum esse arbitraretur, sed tamen lectione et cognitione dignissimus. Sunt enim omnes, quas continet epistolas, non professoris Taubmanni, sed discipuli et adolescentis, eoque tempore scriptae, quo alumnus erat gymnasii Heilsbrunnensis. Sed quum prima, quantum ex conjectura judicamus, scripta sit die XIII. m. Apr. a. 1588, ul-

pas quel vin ils boivent, pourveu que ce soit vin, ni quel Latin ils parlent, pourveu que ce soit Latin."

1) Anus, genitivus et gen. fem.

Digitized by Google

tima, id quod certum est, Kal. Maj. a. 1592, Taubmannus autem natus sit a. 1565; facillima computatione intelligitur, epistolas illas non a puero esse profectas, immo potius ab adolescente, qui ea iam esset aetate, qua mores hominum ad aliquam certe absolutionem pervenisse videantur.

Itaque nec ingratum viris doctis et adolescentulis literarum studiosis admodum utile fore existimavi, si harum epistolarum copiam nactus et memoriam Taubmanni renovarem et ostenderem simul, qualis ille fuisset adolescens. Quoquo autem modo rem egero, viri docti, nisi plane fallor, Eberti librum[1]) haud indigne suppleri judicabunt, adolescentes vero, quid puer, quamvis humilis tenuisque fuerit natus, ingenio, labore, perseverantia, adde probitate et pietate, praestare atque consequi possit, exemplum habebunt Taubmannum, ut qui omnia incrementa sua sibi debere videatur.[2]) Vitam igitur Taubmanni, Eberto potissimum duce, paucis enarrabo, diutius eo commorans loco, qui ad scholam Heilsbrunnensem pertinet et qui epistolis illis adhibitis magis illustrari potest; deinde paucas epistolas integras et eas quidem addam, quae ad imaginem Taubmanni recte exprimendam valere posse videbuntur. Priusquam autem rem ipsam aggrediar, de epistolis illis paulo plenius dicendum est.

Totum volumen e sex et trecentis foliis constat. Epistolae,[3]) quas continet, numero sunt fere ducentae.

1) Fr. Ad. Ebert, Taubmanns Leben und Verdienste. Eisenberg 1814.

2) Vell. Pat. de M. T. Cicerone II, 34, 3.

3) Praeter epistolas poemata aliquot insunt latina et germanica.

Digitized by Google

Quae quidem non aeque facile possunt numerari, propterea quod, qui[1]) eas collegit atque in unum volumen redigendas compingendasque curavit, parum adhibuit diligentiae. Enimvero nec rationem habuit temporis, quo singulae scriptae sunt, nec folia, quae unam et eandem epistolam exhibent, semper coniunxit, ut saepius finis epistolae inceptae alio plane loco quaerendus sit et plus semel frustra quaeratur. Quaecunque enim huius generis a Taubmanno profecta videbantur, ea nimirum corrasit ille magis quam collegit. Paucis epistolis additum est: non misi, aut: non reddidi. Omnes fere latine sunt scriptae, atque ita, ut latinam linguam alterum quasi sermonem patrium fuisse appareat. Laborant quidem verbositate quadam et phrasium, ut ita dicam, exuberantia; sed nihilominus et puritatis et elegantiae studium nemo potest non agnoscere, quamquam haud raro offensioni sunt locutiones quaedam ex usu quotidiano receptae, a quibus vix ullus illius aetatis scriptorum cavere sibi potuit. Saepenumero latinis verbis intermixta sunt germanica, iis potissimum locis, ubi sensus scriptoris nativus, mentis aliqua commotione excitatus, effervescit atque erumpit, rarissime autem ideo, quia latina verba vel minus sufficere vel omnino deesse videbantur.[2])

Ac si quaeras, quid ex his epistolis disci queat: Taubmannus — hoc enim primo loco ponendum — imaginem sui ipsius adolescentis egregie delineavit, ut, quem-

1) Joh. Theod. Neucrantzius, artis salutaris doctor et B. (beati?) Taubmanni abnepos.

2) „Ich weiß, wo mich der Schuh drückt, ich habe ihn an." Alio loco latine: „Nemo melius sentit, qua parte calceus se urat, quam qui eum gestat."

Digitized by Google

admodum vita externa, sic ingenium eius, mores, studia penitus pernoscamus.[1]) Praeterea haud pauca occurrunt, quae equidem id valere existimaverim, ut quae illo tempore literarum scholarumque fuerit condicio, rectius iudicemus. Adde, quod et nostrae linguae grammatici in iis, quae germanice scripta sunt, facile reperiant quaedam et ea minime contemnenda, quae, si visum fuerit, in suum usum convertere possint.[2])

Nomina virorum, qui ex his Taubmanni epistolis singulas pluresve aut acceperunt, aut in iis commemorantur, omnia afferre aut longum esse aut non necesse videatur. Sunt ea scilicet nimis multa, et si ab antiquis scriptoribus, qui frequentissime, Romani praesertim, leguntur, discesseris, magnam partem obscura vel ignota. Sed quoniam ex solis nominibus semper aliquid colligi

1) *Σχεδὸν γὰρ εἰκόνα ἕκαστος τῆς ἑαυτοῦ ψυχῆς γράφει τὴν ἐπιστολήν. Καὶ ἔστι μὲν καὶ ἐξ ἄλλου λόγου παντὸς ἰδεῖν τὸ ἦθος τοῦ γράφοντος, ἐξ οὐδενὸς δὲ οὕτως ὡς ἐπιστολῆς.* Demetr. *περὶ ἑρμεν.* 227. Walz. Rhet. graec. IX. p. 98.

2) Hae epistolae fortasse plura eiusmodi suppeditant, quam Plautus Taubmannianus. Cf. J. et W. Grimm, deutsches Wörterb. Vorr. Neuhochdeutsches Quellenverzeichniss in v. Taubmann. Ut ex multis pauca afferam: „Es ſollen ſich dieſe ereignen und angeben, die uff weltliche ſtend ſich wollen gebrauchen laſen." Cf. Schmeller, Bayer. Wörterb. I. p. 37 et Kehrein, Onomat. Wörterb. Wiesb. 1853. I. p. 486. — „Ich will für einen jeden Pfennig rechenſchaft geben, si opus erit, daß ichs nicht unnützlich hab anworden." Anwerden, amittere, privari; Anwerder, prodigus. Cf. Scherzii Gloss. germ. med. aevi in v. — „Iſt er luſtig, ſo ſchreib er mir ein carmen"; ware auch bisweilen nicht luſtig" [zum Briefſchreiben]. Est igitur his locis luſtig nostrum: aufgelegt. Vide Kehrein in v. II, p. 839. Eberhard, Synonym. I. p. 158.

Digitized by Google

potest, nec quidquam fere, quamvis ipsum per se leve parvique momenti sit, in rebus historicis omnino negligendum est, indicem nominum, quem facile oculis perlustraveris, huic loco subiiciendum putavimus.[1])

---

1) M. Adamus Francisci; G. Am-Waldus; Alciatus; Artomedes; Andr. Behemer; Chr. Bigerus; Ioach. Camerarius, med. doct.; Canterus; Carolus, Sacri Palatii comes cet.; Joh. Codomannus; Vit. Columbarius*); Christ. Cornbergerus, scholae, quae est Schwabachii, rector; Mart. Crusius, Tubing.; G. Demmingerus, Nor.; Ioach. Dolavius; Ian. Douza; Ianus Eccius; Simon Eisen, I. U. D.; Roch. Etzelius; Henr. Faber; Petr. Faber, xenodochii Noribergensium diaconus; Ioh. Fladenstein; Ioh. Frauentrutus; Henr. Frejus, depositor Tubing.; Georg. Fridericus, march. Brandenb.; Nic. Frischlinus; Andr. Frobenius, I. U. D.; Fuggerus; Nic. Grammanus; Iac. Graeterus, poeta l., decanus Halae Suev.; Iac. Gruterus p. l.; Wenc. Gurkfelder; Ioh. Hafnerus; G. Halbmeisterus, Rotenburg.; Val. Hebeisen; Alex. Hegius; Helmbrechtus; Ioh. Hertelius, rector; Ioach. Hoffmannus, consistor. assessor; Math. Hoffmannus; Homagius; Conr. Leius, p. l.; Vit. Erasm. Hosmannus; Elias Kueffnerus; Ioh. Lauterbachius, p. l.; Chr. Link; I. Lipsius; Lotichius; Lutherus; Lycosthenes; Meibomius; Melanchthon; P. Melissus; Neander; Franc. Modius; Muretus; Natalis Comes; M. Ortelius; Andr. Pauli; Paullus Pfisterus, Nor.; Alex. Pflugius, Onolzbach.; Ioh. Puetnerus, I. U. D., consil. Onolzb.; Franc. Raphael, p. l.; E. Reccius; Thom. Rosa; Sadoletus; Scaligerus; Ioh. Schlegelius; Schleicherus, patr. Nor.; Conr. Schleupnerus; Hieron. Scotus, comes de Placent.; M. Adamus Schrammius; M. Conr. Schram, rector ad Divi Egidii, Nor.; Petrus

*) Sine dubio alius quis significatur Taubmannus, cognatus Frid. Taubmanni, qui in epistola ad G. Specknerum scribit: „Salutabis Vitum etiam illum Columbarium et strenuum meae gentis propagatorem; simile fortasse simili gaudet. Er iſt einfeltig, wie ein ſchaff, et sunt columbae etiam simplices.“ Saepissime nomine suo ludit T., quod semel h. l. dixisse satis erit.

Digitized by Google

Num quaedam ex his epistolis typis iam descriptae sint, valde dubito. Commemorat quidem **Morhofius**[1]) duas amplas epistolarum collectiones et inter viros doctos, quorum in iis reperiri ait epistolas, Taubmannum nominatim affert, sed quid et quantum harum collectionum publicatum sit, pro certo dicere non queo. Atque ex Taubmanni epistolis, si quae forte editae sunt, eas omnes eo tempore scriptas esse verisimile est, quo scriptor iam erat professor Witebergensis. Idem de iis statuerim, quas Ebertus[2]) aut vulgatas esse aut adhuc in bibliothecis asservari dicit, quamquam nec has nec illas comparandi causa adire potui. Quodsi in iis, quae sequuntur, aut simpliciter nominantur epistolae Taubmanni aut singuli ex iis loci afferuntur, semper eas velim intelligi manu scriptas, de quibus modo exposui, quibusque solis uti mihi licuit.

Schram, Wonsesius; G. Specknerus; Nic. Statmannus, cancellarius; Ian. Burchardus Statmannus, Nicolai Statmanni filius; Iac. Stemlerus, Nor.; H. Stephanus; Stigelius; Victorinus Streitberg, I. U. D.; Vitus Tettelbachius; Ioh. Tetzelius; Conr. Trautnerus; Turnebus; Turneuserus [rectius: Thurneisserus]; G. Vischerus; Chr. Waldenfels; I. Weidnerus, p. l.; Wielandus; Adamus de Wildenstein; Lud. Wurmius, praes. Culmbach.; Iust. Zimmermannus, Biruthinus.

1) Polyhistor. Lit. I. p. 311 et 313.

2) l. l. p. 135.

Digitized by Google

II. VITA[1]) TAUBMANNI.

Natus est Fridericus Taubmannus[2]) a. LXV. saeculi XVI. d. XV. aut,[3]) quod magis probabile est, XVI. m. Maj. Wonsesii,[4]) parvo vico Franconiae superioris, inter Byruthum et Papebergam sito. Parentes habebat pauperes illos quidem, quibus, ut est apud Terentium,[5]) opera vita erat; at honestos eos fuisse satisque spectatos, ex eo colligas, quod Marcus pater, qui artem sutoriam exercebat, summum apud cives suos magistratum gessit.

Fridericus Taubmannus admodum puerulus erat, quum pater praematura morte exstinctus est. Mater novum iniit matrimonium cum vestifico, qui, etsi ipse minime locuples erat, tamen Taubmannum privignum eiusque fratrem ac sororem[6]) nullo modo neglexit, sed,

1) Supervacaneum est, singulos h. l. afferre scriptores, qui de Taubmanno egerunt, quum Ebertus l. l. p. 135 et Oertelius, Taubmanniana etc. München 1831. p. 4 — 12 satis magnum eorum numerum exhibeant. Minus diligenter in eadem re versatus est E. M. Oettinger, Bibliographie biographique. Leipsic 1850. in v. Taubmann.

2) In epistolis, si quidem perscriptum est nomen, semper legitur Taubmannus, duplicata litera n. Postea plerumque scripsit Taubmanus, quae forma magis latina videretur. Sic in anagrammate (cf. Fr. T. Schediasmata poet. ed. a. 1610. p. 842), quo ex Fridericus Taubmanus facit: Minervae fructus dabit. Item in epitaphio, quod accurate transscriptum est in Friedemanni Oratt. lat. Weilburgi 1837. p. 149. Similiter Rhodomanus in eius epit. ap. Friedemannum l. l. p. 144. Minus recte de hac re Ebertus p. 150.

3) De hac discrepantia cf. Ebert, p. 147.

4) Ipse in Schediasm. p. 353 (ed. a. 1610): Wonsesium, quod nec pagum, nec dixeris urbem.

5) Phorm. II. 3, 16.

6) De Fabiano fratre cf. Ebert p. 149. Sororis no-

Digitized by Google

quantum poterat, et bene aluit et recte educavit. Prima Friderici aetas nihil prorsus insoliti habuit: omnia accommodata erant condicioni ac fortunae parentum. Quum bona indole praeditus aptusque ad discendum videretur, scholae publicae erudiendus traditus est, horis autem subsecivis aut capras pascere, aut, ut patris artem mature disceret, suere solebat. At vero puer, paulo grandior et altius evolans, quum magna facilitate elementa literarum percepisset, ut aliam sibi scholam frequentare liceret, a parentibus petiit et impetravit. Itaque tertium decimum annum aetatis agens, cum patrimonio, quod triginta numulorum fuisse ipse dicit,[1]) patre duce ac comite Culmbachium migravit ad Codomannum, scholae latinae, quae ibi erat, rectorem. Apud quem salute data redditaque Fridericus, antequam pater, quid vellet, aperuisset, sarcinam suam confidenter et quasi numquam rediturus sub scabello aliquo deposuit. Rector autem, quum pauca ex eo quaesisset, minus scientia pueri, quam ingenii alacritate iudicandique sollertia adeo captus est, ut discipulis suis eum adscribere non dubitaret. Nec fefellit magistrum spes de novo alumno concepta. Is enim tanto ardore, tanto successu literarum studium amplexus est, ut ad hoc unum natus aptusque videretur. Neque ullis impedimentis ab ea via, quam semel ingressus erat, deterritus est. Nam quae

---

men, quod ignorarunt Ebertus et Oertelius, Anna erat. De hac sorore in ep. ad Ge. Kueffnerum: „Ergo soror mea iam nupsit? Cui? rustico. Quam probe! Cascus cascam duxit. Di bene vortant!“

1) Ebert p. 152. Postea, quum etiam mater mortua esset, parvam adiit hereditatem et tutores habuit. Cf. infra ep. I. ad rectorem.

Digitized by Google

res vulgarium hominum animos deprimere ac saepe frangere solent, egestas et miseria, eae Taubmannum potius erexerunt firmioremque reddiderunt: tanta ille animi fortitudine mala ista non modo toleravit, sed etiam superavit. Saepenumero, quum a parentibus egenis vix quidquam vestimenti, cibi nihil acciperet, ad benevolentiam civium Culmbachiensium confugere et canendo ante portas panem quaerere cogebatur. Sed paucis erat contentus, et quum praeterea bonis moribus, laboris assiduitate, ingenii hilaritate, denique summa adversus deum pietate aliis praestaret, factum est, ut non solum a plerisque omnibus diligeretur, sed etiam, qui eum adiuvarent et sustentarent, semper fere reperiret. Quamquam negari non potest, Culmbachii Taubmannum cum egestate miseriisque nunquam non esse conflictatum.

Melius res eius fore videbantur, quūm Georgius Fridericus,[1]) marchio Brandenburgiae, in coenobio monachorum Cistertiensium, quod Heilsbrunnae erat, scholam instituit,[2]) quae centum adolescentes ingenio praeditos literarumque amore atque industria excellentes reciperet. Nonis Apr. a. 1582, die natali principis, novus[3]) ille ludus literarius apertus est, et Taubmannus,

1) Natus d. V. m. Apr. a. 1539, mortuus d. XXVI. m. Apr. a. 1603. Holle, Alte Geſchichte der Stadt Bayreuth. Bayreuth 1833. p. 122: Vorzüglich aber ſuchte G. Friedrich die während der vielen Kriegsjahre tief geſunkene Moralität wieder emporzuheben und ſorgte deßhalb unabläſſig für Kirchen und Schulen."

2) Cf. J. M. Fuchs, Einige Notizen zur Schulgeſchichte von Heilsbronn und Ansbach. Ansb. 1837. In hoc libro omnia, quae ad historiam Heilsbrunnae, coenobii, scholae antiquae pertinent, uberrime exposita sunt, ut aliis scriptis facile careas.

3) Novum eum dico, quod a schola, quae multo ante

Digitized by Google

a Codomanno, qui huius scholae conrector nominatus erat, praeclare commendatus, inter primos eius alumnos locum habuit. Qua in schola etsi pauperiores discipuli publice alebantur, tamen Taubmanni vita condicioque non usque eo lauta fuit ac splendida, ut omnibus curis vacuus totum se literis dare potuerit. De cibo quidem modo vehementissime queritur, modo lepide iocatur;[1] libri omnes, exceptis scriptoribus graecis et latinis, aliunde comparandi erant;[2] vestimenta aut nulla omnino

Georgium Fridericum in eodem coenobio fuerat, multis rebus differebat. Cf. Bruschius, de monasteriis Germaniae p. 197.

1) „Singuli ubi edant et quid edant habent. Solus ego miser, ubi valetudinis iacturam feci gravissimam et periculosissimam. Valetudo non patitur, ut in locum communem descendam, in coenaculum dico, quamquam vellem, ut Hollii vestigiis ingressus in locum illum communem aut nuper abiissem aut sane quam mox abirem. — Non tantum incredibiles dolores hodie exantlandi mihi fuerunt, sed etiam carendum fuit omni corporis et naturae stabilimento. Ich hab den tag keinen warmen waſertropfen zu getroſten gehabt. Licet omnes sciant, quae mea sit condicio, nimirum miserrima, tamen scire nolunt. Peto igitur, ut, si non aliis modis inconcessis is mihi quaerendus erit, cras cibus tantulus, quantulo aegrotus homo sustineri poterit, praebeatur, quandoquidem hodie esurire coactus sum. Ich weiß doch gewiß, daß mich gott nicht verlaſet, und wenn ich ſchon von allen Menſchen werde verlaſen." — Ep. ad Rectorem. — „Valeto, et ipse posthac, ut valeam, curabo. Raptim a coena, non Apiciana; sed qualem dant, „qui gratis dant." Ex ep. ad G. Vischerum.

2) „Praeterea indiget [filius tuus] libellis nonnullis, non quidem classicis (ut loquuntur), nam hi principis sumptibus coemuntur, sed aliis." Ex ep. ad Trautnerum.

„Gratias ago pro Parodiis Meibomii eruditis, et pro Lauterbachii Aenigmatibus. Utraque antea perlegi; sunt tamen nihilominus grata, quia a te missa. — Natalis Co-

Digitized by Google

aut non satis large suppeditata esse videntur.[1]) Quid, quod et ipse locus aut tota vivendi ratio minus salubris videtur fuisse. Certe crebrae purgationes alvi venarum-

---

mitis Mythologiam nuper paene aliud agens transvolitavi; ne mittas; Lycosthenis Apophthegmata non vidi, sed tamen, si magni sunt pretii, ne mittas; denn ich hab im willen, für 10 fl. Kleider mir machen zu lasen. Alciati Emblemata Roteburgi legi seu potius adspexi. Centurionatum Plautinum Douzae mei tantum non memoriter sum complexus. Ausonium Scaligeri habeo antea. Gellium H. Stephani non vidi; sed ne mittas; ich bin kein gelliſt, ein geltiſt möcht ich wohl ſein; wiewohl mir unſer hergot itzt mehr beſcheret hat, als ich mir hett wünſchen können." Ex ep. ad G. Specnerum.

1) „Ich bitt auch gantz freundlich, ihr wollet mir den fahlen laſen ſchwartz ferben, doch daß mans nit verbrenne. Was es koſtet, ſchreibt mir; ego supplebo." Ex ep. ad Petr. Fabrum Noriberg. — „Porro audio, D. Rectorem offensum esse habitu meo, seu potius tibialibus solummodo: colore inprimis insolenti. De his sciat D. Rector, ea principio, cum emerentur, non fuisse eo colore, quo postea fuere, verum candido, non tamen prorsus candido, sed quasi subcandido (ut ita loquar), ut si quis lineis aut etiam laneis recens lotis utatur per dies aliquot loco pulverulento, ut ita neque candida, neque ullius certi alterius coloris fuco infecta dicere quis possit. (Mercatores vocant lichte oder weiſe Leibfarb, ad differentiam alterius coloris hoc illustrioris et pellucidioris.) Hac vero ratione colorem mutarunt. Iter faciebamus per locum uliginosum sudibus binis pontium vicem sustinentibus constratum, cumque minus attente procederem, sinistro pede decido et postratus in humorem ibi collectum provolvor: surgens autem me indignabundus contemplor; et ubicunque inquinata erant tibialia, ibi continuo priorem mutabant colorem. (Sic factum, sic loquor, Deus est testis.) Ne autem variegata haberem tibialia, penitus in aquam ea immitto, ut unum colorem habeant. Cur vero emisti?

Digitized by Google

que incisiones, quibus illa aetate nemo carere posse putabatur, valetudini multorum hominum, praesertim infirmiorum, plus nocuerunt, quam profuerunt.[1]) Anno

inquit D. Rector. Abibam hinc sine gladio*), sine pileo, sine tibialibus. Quamquam autem tibialia habebam linea, adeo tamen erant lacera et corrupta, ut e calceo undique prospicerent. Noribergae autem emebam tibialia primum obvia (die nechſten, die beſten). Urgebant enim abitum comites, ipseque ignarus hominum locorumque." Ex ep. ad Codomannum rectorem.

*) Notissimum est, etiam gymnasiorum alumnos natu maiores gladiis succinctos fuisse. Taubmannus in ep. ad M. Joh. Codomannum rectorem: „Parum aberat, quin gladios stringeremus." Cf. Leges Scholae Walkenredensis in: Volkmar, Gesch. der Klosterschule zu Walkenried. Nordhausen 1857. p. 40: „Sclopeti sive bombardae nullus usus esto. Enses, pugiones et id genus arma apud praeceptores deponuntor, indeque, si opus sit, repetuntor." Qui cuiusvis generis armorum telorumque usus perversissimus saec. XVI. in academiis fuerit, nunc optime cognoscas ex: Oscar Dolch, Gesch. des deutschen Studententhums. Leipz. 1858. p. 61 sqq.

1) „Audiebam hodie, D. R., Heringium et Bromberum Tuam Humanitatem accessuros petitum, ut crastino die clystere aliquo stomachum cum intestinis laxaturo et purgaturo sibi uti, et die Martis venas aperire liceret. Hanc occasionem ego quoque captans his me adiunxi, idque eo libentius, quia sciebam, Dominum Rectorem facilius pluribus id concedere, quam uni alicui soli, ut labor eorum, quorum opera ad hanc rem utimur, minuatur, si pluribus semel illud conferant, ne in dies illis molestiam faccssamus. Quare peto cum praedictis duobus etiam atque etiam, ut Dominus R. pro more, sed cur non dico necessitate, ea, quibus ad haec opus habemus, benigne nobis procuret. Sed quaeret fortasse D. R., an positus siderum et caeli clementia huic operi adspiret et faveat: quaestio mehercule mihi explicatu difficilis, et nollem quinquagenario sacramento contendere, ea se ita habere. Caelum nostrum est Calendarium, stellae sunt picturae illae decussatim typographi arte infixae: si haec fallunt, falsi sumus: Vale." Ex ep. ad Rect.

Digitized by Google

MDXD. Taubmannus, quum iam antea[1]) saepius aegrotasset, in gravissimum morbum incidit, et mihi quidem vix dubium est, quin praecipua eius morbi causa fuerit scabies,[2]) quam totius scholae communem miseriam nominat. Quo morbo adeo debilitatus fractusque est, ut de salute sua et ipse paene desperaret, et medici nullis aliis remediis nisi thermarum usu in pristinam eum valetudinem restitui posse censerent. Verum quot preces,[3]) quot allegationes, quot denique flagitationes adhibendae erant, ut tandem tantum haberet pecuniae, quantum ad sumptus curationis faciendos opus esse videretur! Diu multumque questus et lamentatus primo quinque, paullo post novem accepit florenos; atque ad

1) Vide infra Ep. I. (ad Rectorem).

2) „Sed quia per hanc septimanam solito vehementius communis illa nostrorum scholasticorum miseria, scabies nimirum (salva reverentia) pedes meos adorta est, quae me lentum et ineptum paene ad quodvis negociolum facit, metuo, ut his diebus huic muneri [vicarii] par esse possim.“ Ex ep. ad M. Gurckfeld.

3) Satis habeo, pauca ex ep. ad M. Adamum Francisc. attulisse. „Sed non solum valetudinem amisi, sed et sumptibus, quibus amissam invenire possim, destituor. Quare fretus munificentia et liberalitate Illustrissimi Principis et Tua humanitate huc venio et obnixe sancteque iterum atque iterum rogo et obsecro, ut, Tua Humanitate pro me intercedente, sumptus, principi datori non adeo magni, mihi vero accipienti maximi, tribuantur, quo pristinam valetudinem recuperare et principi aliquando in ecclesiis et scholis utiliter, prout accepi a Domino, prodesse possim. Non enim video, quid prosit mentem et animum curasse et bonis artibus excoluisse, si corpus negligitur, quo ceu instrumento, quae animo percepta et cognita sunt, cum aliis communicamus.“

Digitized by Google

thermas,[1]) quae Noribergae[2]) tunc erant, profectus est, ubi, quantum per valetudinem liceret, ad tempus satis iucunde[3]) videtur vixisse. Sed haec pecunia, quae sane

---

1) „Utuntur tamen aliquando authores thermarum nomine etiam pro aquis calefactis, publicis scilicet, in quibus complures simul lavantur." Conr. Gesnerus, de Thermis, in libro qui inscribitur: De Balneis, omnia quae extant apud Graecos rel. Venet. ap. Juntas 1553. Fol. p. 290 init.

2) Cf. Will, das Nürnberg. Wildbad. Altdorf u. Nürnb. 1792. — Leonh. Thurneisser, Pison. Das erſt Theil v. kalten, warmen ꝛc. Waſern. Frankf. a. d. Od. 1572. IX., 28: „Steinhaid, nicht weit von Nürnberg." — De frequenti thermarum et balnearum usu saec. XVI. vid. C. Jaeger, ſchwäbiſches Städteweſen des Mittelalters I. p. 497. Meiners, hiſt. Vergl. der Sitten des Mittelalt. mit unſerem Jahrh. Hannov. 1793. Bd. I. p. 262. — In legibus scholae Walkenredensis (vide supra) quattuor sunt de balneis loci, quorum ultimus hic est: „A balneis omnis immodestia, petulantia, obscoenitas et turpitudo relegator."

3) Ad Justum Zimmermannum. „Nae ego homo longe lateque probe humesco, uvesco et madesco. Quid ita? In thermis halito Noribergae, et septimana nunc agitur tertia. Et ecce, hoc ipsummet momentum, quo scriptitamus isthaec, nos aquis immersit collo tenus. Et tu, mi Juste, si me sic natitantem calidoque sepultum Nereo oculis usurpares tuis, edepol, non faceres, quin cachinnares ingentem cachinnum. — Sed — aber ich bin itzt valde matt. Poteris ipse aestimare, Juste, justo judicio. Haec enim, quae me tuetur hora scribentem, sexta*) est, qua lavor hujus diei. — Nunc audi,

*) In alia ep.: „Ich bin bis uff die acht Stunden an einem Tage geſtiegen, mit Verwundrung andrer, die mit Noth 6 können erreichen. — Cf. Etſchenreutterus, Aller heilſamen Bäder und Brunnen Natur ꝛc. Straßb. 1571. p. 178 (Badordnung): „Es ſoll fürgeſchribne Art mit gebürlichem Aufſteigen des Badens beſchehen vnd auff einen tag ſolt du nit vber 6 ſtunden im waſer ſitzen."

Digitized by Google

magna ei, utpote homini pauperi, visa fuerit, quum Noribergae omnia maximo pretio[1]) venderentur, non sufficit; nova igitur calamitas, novae curae; aes alienum contraxerat,[2]) nec habebat, unde dissolveret. Epistolae docent, quomodo ex hac se difficultate expediverit: multa scilicet prece multos prosecutus. Ceterum balneis sanus factus, postea, ut iam ante fecerat, egestatis incommodum et pueris instituendis et carminibus faciendis nonnihil minuit et levavit; quoniam autem, quidquid lucrabatur, in libris comparandis consumebat, semper pecuniae inopia laborabat.

Ac profecto adversae fortunae succubuisset, nisi ad ingenii praestantiam fortitudinemque animi summa adversus deum accessisset pietas.[3]) Haec vero religionis

---

quid velim. Vix credere tibi sit: in tantum cerevisiam et animo et palato sitio vestram, in quantum nemo quisquam sitivit, quando vel ut cum maxime sitivit. Pol Zimmermanne, si me amassis, ut certe amassis, licet antidhac neuter usitaverit alterum, mitte ad me poculum, si potis es (audis Plautinum numerum?). Nosti mores calidarum, quae cum sint humidissimae, siccant tamen maxime."

1) „Nosti mores Noricorum; hi omnia magno, nil vendunt parvo." Ex ep. ad D. Abbatem M. Adamum Franc. — „Manns enim Noricorum vere oculatae sunt; credunt, quod vident; ſo weit ſie gelb ſehen, ſo weit trauen und helfen ſie. Es darf keiner nicht ein ſtund haben, wo er nicht das gelb in henden hette. Jtz erfahre ich mit der that das alte ſprichwort, Nürnberg ſey ein rechte geltſchluckerin." Ex litteris supplicibus maximam partem germanice scriptis.

2) „Fides mea Noribergae obstricta est pharmacopolae; apud popularem ibidem; apud alios; qui me, dum lavor inops, ex inope compotem rei re sua fecere." Ex ep. ad M. Ad. Franc.

3) Ex innumeris fere locis pietas Taubmanni cognos-

Digitized by Google

pietatisque virtus, quae, ut ceterarum virtutum radix est ac fundamentum, ita etiam quasi cumulus ac fastigium, tanta eum sustentavit fiducia, ut, sive quid patiendum esset, sive superandum, pati ac superare posse sibi videretur.[1]) Sed haec hactenus. Alia enim, quae

citur. Quum quondam e gravi morbo evasisset, ipse preces composuit longiores his verbis incipientes: Es iſt trefflich gut, auff den Herren trawen, und ſich nicht lehnen auf menſchen hülfe. Der herr züchtiget die ſeinen wol; aber er gibt ſie dem Tod nicht bald. Der wunderbare Gott beweiſt ſeine güte wunderlich an denen, die ihm vertrawen ꝛc. Adde, quod in libris sacris versatissimus fuit. Cf. Ebert, l. l. p. 16 et 17.

1) Quo animo incommoda vitae acceperit et tulerit, vel ex hoc intelligi potest. Quum fures multa ex coenobio surripuissent nec Taubmanni quidem egestati pepercissent, is calamitatem suam in epistola ad G. Specknerum missa his verbis exponit: „Nunc ad mea. Prorepsit nuper e terra lumbricus totus piceatus, repsit per meam reculam, attraxit tunicam, quam eum ut Portitor inferni cernat habere precor. Sed nondum finis. Abstulit indusium me astante et vidente, quod facinus tamen pertinaciter negavit. Abstulit item alterum indusium, me tamen absente; sed nondum finis. Abstulit mantile, abstulit alterum, abstulit tertium. Sed nondum finis. Abstulit cantharum non quidem meum, sed quem utendum acceperam a balneatore, pro quo 5 batzios persolvi, erat enim maior. Sed nondum finis. Abstulit et meum cantharum proprium publico aere comparatum, pro quo persolvi 4 batzios. Quibus verbis me incursitent, impugnent, incessent illi, quibus isti fuerunt, non facile dixerim. Quam constanti animo ea perferam, non queo dicere; mirantur multi inter nos animum meum super hac re quietum. Sed id me consolatur, quod scio, me habere deum propitium, et orphanos ei curae esse, et qui mihi id omne cum foenore reddere possit et velit, sicuti et fecit iam nunc. Gratulatus enim fui carmine Alcaico Regis Poloniae legato, iussus a nostro rectore, qui mihi 2 taleros donavit et stipulata manu se mihi patronum pronunciavit.“

Digitized by Google

quis huc pertinere arbitretur, locum habebunt aptiorem in iis, quae statim, sed paullo altius repetens de gymnasio Heilsbrunnensi deque tota Taubmanni via ac ratione studiorum dicturus sum.

Suos quodque tempus mores habet, studia, voluntates; quibus rebus omnibus efficitur id, quod hodie dilucide, sed minus recte et ab antiqua vocis significatione aliquantulum deflectentes genium[1]) saeculi vel temporis appellamus. Atque hic, qui nunc intelligitur genius, multos quidem homines tamquam claudicantes post se relinquit, perpaucos praecurrere et quodammodo antevolare patitur, longe vero plurimos habet comites, qui etiam tunc eum comitantur et sequuntur, quum ipse nostro quidem iudicio de recta via vel declinat vel prorsus aberrat. Sed missos nunc facimus et moratores et praecursores generis humani, non quo aut illos plane contemnamus, aut hos non summa admiratione quin etiam veneratione dignos existimemus, sed quia nobis res est cum magna illa hominum multitudine, in cuius utilitatem salutemque omnia a divina providentia ita constituta ac comparata sunt, ut illi ipsi moratores et praecursores, alteri tamquam emissarii ad promovendum genus humanum, alteri, ne quid praecipitetur ac summa imis misceantur, quasi sufflamina nati esse videantur.

Erat autem Taubmannus eius, quam dixi, multitudinis; huius sequebatur mores, studia, voluntates, in

1) Non sum nescius, quam infesti sint genio saeculi viri docti, veluti Krebsius in Antibarbaro suo i. v., Wuestemannus ad Doeringii commentationes cet. Norimbergae 1839 p. 54 et 308, alii; sed ego h. l., si fas est dicere, consulto peccavi.

Digitized by Google

quibus etsi inesse possunt, quae nobis minus probentur, quoniam diversis temporibus non eadem honesta atque turpia sunt,[1]) si quis, quod ab aequalibus honestum, laudabile ac gloriosum habetur, sectatus fuerit, in eoque non solum satisfecerit, verum etiam inter multos praestiterit: nihil profecto causae est, cur eum vituperemus; immo nisi injuriam facere volumus, talis admodum probandus est ac laudandus.[2]) Ac pueri et adolescentes in scholis erudiuntur; omnes autem ludi literarii, ubicunque terrarum sunt, genium illum temporis non tam regunt, quam ipsi ab eo reguntur et ducuntur, quidquid contra dicunt ludi magistri, qui nimio sui suarumque rerum amore ac fiducia a scholis omnia humana regi in scholisque universam omnium mortalium salutem positam esse volunt, non cogitantes, quantopere ipsi vel inviti cum scholis suis temporum voluntati cedere et inservire cogantur.

Unde fit, ut scholae sui quaeque temporis quasi specula sint, in quibus, quid homines aequales sentiant, quid cogitent, quid consequi velint, optime cerni possit. Ac si ipsae scholae earumque magistri, quamvis nolint ac minime credant, ingenium saeculi tamquam rectorem ac gubernatorem sequuntur, neque ullo modo vim eius subterfugere possunt, quid, quaeso, de scholarum alumnis, de discipulis statuamus? Nonne praeter ceteros

---

1) Verba Corn. Nep. praef. 3.

2) Isocr. Hel. 22 (ed. Benseler): „*Ὅσα μὲν γὰρ ἐφ' ἡμῶν γέγονεν, εἰκότως ἂν ταῖς δόξαις ταῖς ἡμετέραις αὐτῶν διακρίνοιμεν, περὶ δὲ τῶν παλαιῶν προσήκει τοῖς κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον εὖ φρονήσασιν ὁμονοοῦντας ἡμᾶς φαίνεσθαι.*“ — Goethius: „Die größten Menſchen hängen mit ihrem Jahrhundert durch eine Schwachheit zuſammen.“

Digitized by Google

caros maximaque laude dignos habebimus eos, qui nihil antiquius habent, quam ut magistris satisfaciant; qui nihil magis curant, quam quod scholae leges et instituta postulant: qui denique, quidquid virium, quidquid ingenii habent, in studia, laudata illa scilicet ac probata, ita conferunt, ut intemperantia literarum laborare ac scholae, non vitae[1]) discere videantur?

Ac talis discipulus fuit Taubmannus. Cuius aetate quum humanitatis studia, si non omnino, at certe ab eorum fautoribus tanti aestimarentur, ut nimium fortasse iis tribueretur,[2]) quid mirum, si Taubmannus in hoc literarum genere totum sese collocavit, ad quod et ingenium eum ferebat et magistri insuper ei suasores impulsoresque erant? At poeta fieri voluit latinus, et non vulgaris, sed eruditus, doctus; omne tempus curamque in veterum poetarum lectione et imitatione consumpsit. Sane illud voluit, hoc fecit, tantaque perseverantia in poesis studio elaboravit, ut condiscipulos omnes longe superaret. Poesis enim tunc et doceri et disci posse videbatur eratque illa aetas, si numerantur poetae, omnino vel maxime poetica; si ponderantur, nulla fortasse minus. Iam vero si apud viros doctos latinae literae usque eo vigebant ac praevalebant, ut lingua germanica

1) L. A. Senec. epp. XVIII, 3. extr. (ed. Haase).

2) Ph. Melanchthon in praef. editionis Terentii (Colon. Agr. a. 1555), Terentio multis verbis laudato et commendato, haec addit: „Beatas respublicas, si hoc genere literarum dedolata juventus ad majores res gerendas accesserit. Nunc cum nulla scientia neque religionis neque virtutis sit in his, qui tenent respublicas, videmus eorum inscitia omnia sacra et profana, divina atque humana misceri.“ Cf. Bernhardy l. l. p. 118, et Schlottmann, de Phil. Melanchth. reip. litt. reformatore. Bonnae 1859. p. 13.

Digitized by Google

in contemptu haberetur;[1]) si nemo fere erat latine eruditus qui non idem poesin latinam, quae ipsius linguae quasi flos et lumen haberetur, attingeret et tentaret,[2]) carminibusque componendis eruditionis laudem non solum quaereret, sed etiam consequeretur; nonne adolescentem hoc tempore natum, his moribus imbutum, horum hominum aequalem, nonne hunc omni ingenio destitutum insipientemque diceremus, si harum rerum omnium prorsus negligens omnia alio modo agere voluisset? Nec profecto inutile fuit illud latinae poesis studium, quum ipsa poesis germanica summum ex eo perceperit fructum, quidquid hodie de poetis atque poema-

---

1) „Sunt mecum in hac schola centum scholastici; sunt in iis paene 30 annorum. Si omnes omnia consilia nostra, omnes omnem animi mentem depromeremus, conferremus, efficere non possemus leve aliquod Germanicum scriptum ad praesidem non civicum, sed paganum, quod probe confectum dicerent periti harum rerum.“ Ex ep. ad Maec. — Cf. K. v. Raumer, Gesch. d. Paedagogik. I. multis locis. Viri docti qui in libris suis patrio sermone utebantur, saepe ut intelligerentur, notissimis verbis germanicis latina addere necesse habuerunt. Ib. p. 269 (ed. II.), De nominibus propriis vel graece vel latine redditis ib. p. 125. Notissimum est, hunc morem perstringi a Goethio in: Götz von Berlich. In multis nominibus res erat facilis (Mayer fit Marius, Neue-N[a]evius); sed Krachenberger (ap. Raum. l. l.) ne a Reuchlino quidem, ut videtur, graecissari potuit.

2) Rarum est quempiam plane abhorruisse a poesi, veluti Carol. Sigonium. Vide Krebsium in Vita Carol. Sigonii. Weilburg 1837 p. 5. Poetae nomen honorificentissimum erat ceterisque nominibus longe anteferebatur. Quapropter saec. XVI. nominibus gentiliciis non raro adscriptum legitur aut simpliciter: „poeta“, aut: „poeta et theologus (medicus).“

Digitized by Google

tis illius temporis indicamus.[1]) Quod tamen longius persequi a proposito alienum est. Redeamus ad scholam Heilsbrunnensem et Taubmannum.

Quae schola quomodo instituta fuerit, nihil attinet pluribus persequi,[2]) quia sine controversia par similisque erat aliis eiusdem temporis multis, quae quamvis inter se differrent pro varietate locorum et subsidiorum, tamen consiliorum studiorumque ratione mirifice congruebant. Hoc vero unum, quod illius aetatis scholis proprium fuit ac praecipuum, praetermittere non debeo: et pauciores disciplinae docebantur, et discipuli suum

1) Rectius quam a multis, veluti a Gervino (Gesch. d. poet. Nat.-Lit.), a Mico, Martin Opitz etc. Paderborn 1853. (progr.) fieri solet, de hac re sentiunt K. A. Barack (Werke der Hrotsvitha. Nürnb. 1858. p. XXI et XXII.) et inprimis I. Classen in libro egregio: Iac. Micyllus etc. Frankf. a. M. 1859. p. 17 sqq. Nemo ignorat, quam multae latinae fabulae inde a. saec. XV. germanicis poetis argumenta suarum praebuerint. Cf. Gottsched, nöthiger vorrath etc. Leipz. 1757. A graecis poetis antiquis abstinebant poetae germani propter ignorationem linguae, aut latinas interpretationes sequebantur. Vide ib. p. 93 et p. 164. Hoc posteriore loco Aias commemoratur Sophocleus, a Ios. Scaligero (cf. Bernays l. l. p. 278) in latinum, a germanico poeta quodam in nostrum sermonem conversus, multis tamen rebus et additis et mutatis. Cf. Gervinus l. l. III. p. 76 (ed. I.).

2) Qui plura desiderat, Raumerum adeat l. l. et inspiciat libellos, qui nostra aetate satis multi de singulis scholis separatim editi sunt, veluti Heinicke, zur ältesten Gesch. d. Gymn. zu Rastenburg 1846. Eckstein, Beiträge zur Gesch. d. Halle'schen Schulen 1850. Heerwagen, zur Gesch. d. Nürnb. Gelehrtenschulen etc. Nürnb. 1860. Cf. etiam Kraneri narratio de hum. studiorum XV. et XVI. saec. in Germ. orig. et indole. Misen. 1843 et Heppe, das Schulwesen des Mittelalters etc. Marb. 1860.

Digitized by Google

quisque ingenium magis sequi poterant, ut minime sit mirandum, si singuli singularum artium maiorem sibi scientiam atque usum comparaverunt.[1]) Omnis Heilsbrunnensis — sic enim tunc ferebatur — aut musicus est aut poeta aut magicus (i. e. mathematicus). Taubmannus autem ex numero fuit poetarum, nec quidquam aliud egit,[2]) nisi ut poeta latinus evaderet, id quod non modo suo, sed omnium fere aequalium iudicio assecutus est.

Viri quibus utebatur magistris, videntur illi quidem satis idonei fuisse ad ingenium eius excitandum et stimulandum, ad regendum et coercendum non item,[3])

---

1) Ad hunc locum cf. C. L. Roth, Kleine Schriften etc. Stuttg. 1857. I. p. 196: Zur Gesch. des Nürnb. gelehrten Schulwesens im 16. und 17. Jahrh.

2) Alias sane res non magnopere curavit. In ep. ad Hoffmannum addit: „Atque haec ipsa sub praelectione sphaerica scriptito, quasi aliud agens et tamen hoc unum agens.“ Cujus generis haec praelectio fuerit, Raumerus docet l. l. I. p. 257 sqq. Multarum rerum, quas hodie sciunt pueruli, Taubmannus videtur fuisse ignarus. „Praeterea revoco, quae heri dixi, me delectationem et utilitatem, de qua sermo fuit, assecuturum (Vertumno favente) citius, quam volpes Plautina pyrum voret. Ah, ne arroganter a me dictum existumet D. Rector. Ita me amabit sancta Veritas, is non meus fuit animus. Fui in hac opinione vulpes non comedere pyra; ideoque ironice istius servuli Plautini [Most. III, 1, 25 ed. Weise] ad senem verba accepi. Sed sum falsus turpiter.“ Ex ep. ad Hertelium.

3) „Proxime, cum D. M. Codomannus mihi Noribergensem quendam commendaret, ut singulis septimanis privatas repetitiones cum ipso susciperem, et stylum prosae et ligatae orationis exercerem, forte fortuna accidit, ut vocabulo uterer minus obvio, dum loquor, do fangt er von meiner antiquitate an zu reden et dehortari me ab illa multis verbis.

Digitized by Google

praesertim quum nec ipsi sibi in suadendo et dissuadendo semper constarent. Utinam saltem, ut alia taceam, fa-

---

Siehe, ich bin dein praeceptor nun in die 9 Jahr, a me hoc non habes. Quis tibi auctor est? Num Lejus? Nequaquam, ego respondeo. Quisnam? inquit. — Auctoritas partim maiorum virorum, partim natura ipsa me trahit et illicit, inquio. Quot sunt, inquit, illorum virorum, qui probant? Est unicus Melissus. Hergegen ſein ihr wol 1000, die es improbiren. Ego tacebam, gedacht, dörft ich reden, ich wolt wol reſpondiren. Als wenn es allein der Mellissus were. Tum ille: nisi a proposito tuo isto absistis, te ipse accusabo, si D. M. Adamus redierit. Ego abeo non mediocriter commotus et adscendo altera die ad D. Rectorem et offero duo carmina, Alcaicum, in quo est antiqua imitatio et imago, et Elegiacum, in quo est Ovidiana imitatio et mera simplicitas et facilitas. Et significo illi omnia, quae M. Cod. mecum egerat et peto consilium eius, quod in hac causa tuto sequi possim. Iubet me abire et crastino die ad vesperam reverti, se interea velle ea scripta cognoscere. Dicto tempore adsum: vocor in conclave eius; ubi etiam D. M. Gurkfelderus aderat. Incipit D. Rector, vides, Taubmanne, inquit, tot esse sensus, quot capita, et omnibus satisfacere magni laboris est et infinitae industriae: Huic placet, quod illi displicet. Quod autem consilium et iudicium meum de tua ratione scribendi petis, ego sic statuo: Te illud studium investigandi et imitandi antiquitatem puriorem non posse deponere absque magna tuorum studiorum iactura; progressus es enim in eo satis longam viam. Addebat M. Gurkfelderus: neque ego, D. R., ullo modo improbare possum eius in hac re diligentiam et dexteritatem. Sed hoc tamen moneo, inquit D. Rector, ut parce id facias, et hortor te, ut, quoniam hoc genus dicendi, ut vides, non omnibus placet, legas elegias etiam Propertii et in illo genere faciliori aliquid coneris, ut ita possis utrisque satisfacere. Si scis, eum, ad quem scribis, delectari antiquiore genere, scribas in eo, si quem in leviore, scribas in eo itidem. Et mandabat mihi cum D. M. Gurkfeldero, ut adjunctis literis illud in officinam typographi mitterem et interdicerem typographo, ne

Digitized by Google

cilitati festinationique, qua versus effundere solebat Taubmannus,[1]) restitissent atque ita cavissent, ne nimis mul-

---

ullum vocabulum nec literam in eo mutaret. Do ſaget der Rector noch zum M. Gurkf.: Sie werden wol eine weil daran zu klaubeln haben, die Studenten zu Altorf." Ex ep. ad G. Specknerum. De antiquitate, quae in Taubmanno vituperabatur, cf. infra ep. III. (ad clarissimum Maecenatem) et Gesneri Isag. I, p. 306.

[1]) „Mense Augusto aderant Noribergenses et convivium fecerunt in publico nostro hospitio, ad quod invitarunt omnes dominos praeceptores, qui et comparuerunt omnes; illis vero abeuntibus processere nostri praeceptores ad fores D. M. Gurkfelderi ibique considentes et stantes, mediocriter madidi, quibuscum erat D. Judex (qui me fere singulis diebus ad se vocat et cuius bibliotheca mihi est aperta; quandocunque adsum, utor omnibus quibus volo libris). Is, nobis praetereuntibus (fueramus enim in campo nostro) clamavit: Ubi meus est Taubmannus? Ubi meus Taubmannus? Ego processi. Porrexit mihi aureum poculum, bibi; me complectitur, clamans: „Hic meus est filius, hic meus est filius." Dimissus, me subterducere conor (denn ich ſcheuhet mich vor den praeceptoribus). Ibi incipit iudex: ubi est Taubmannus? sed ego pergo, quasi non audivissem: vocat D. Rector: Taubmanne, non audis? adesdum. Communica nobiscum tuas columbas. Welcher kann ein Verschen machen, was am meiſten pedes hab? Et recitat hunc mihi antea notum: „Mille boves pascunt taurorum millia centum," et: Mach mir auch einen, der ſo viel pedes hab. Meditabundus adsto: porrigit mihi iudex poculum, ebibo; ubi ebibissem, inquit iudex, iam vena fluet; et ego hunc (quem utcunque ex tempore feceram) recito: „Mille vorant equites cancrorum millia centum." Hic superabat multitudine pedum rectoris. Quilibet enim eques habet 6 pedes; ille duos, equus 4, et quilibet cancer 8. D. Rector subiicit alterum mihi etiam antea notum: „Musca super vitulum quemlibet una sedet," et inquit: Mach mir einen, der ſo viel columbae drin ſind. Respondeo ego: Hoc non possum, paululum meditatus, hunc subiicio: „Una columba sedet

Digitized by Google

tos versus faceret, quo haud scio an nihil ei plus nocuerit. Sed nimium fortasse, ut assolet, adolescenti, qui et ipsis et scholae honori futurus esset, indulserunt, unde factum est, ut, si quid pecasset, remissius vituperarent et corrigerent.[1]) Hic autem, ubi poeta haberi et illustrari coeptus est, quum et laudes et alia praemia accederent, nullam fere occasionem praetermisit, quin carminis aliquid componeret, ac vereor, ne sedulitate sua non solum magistris[2]), sed etiam aliis hominibus saepe molestus fuerit; illis, quod nihil nisi quod ab ipsis emendatum esset, ex schola emitti volebant,[3])

---

quemlibet ante pedem". (intellige pedes equitis cum equi et cancri). Propinat mihi iudex vinum, bibo; D. Rector inquit: victus sum. Interea me subduco clam illis." Ex ep. ad G. Specknerum.

1) Quantum noceat ingeniis nimia indulgentia, nimiae laudes, egregie exponit D'Israeli: Miscellanies of Literature. Paris 1840. I. p. 186 sq.

2) Quo rarius tale quid hodie, eo magis adducor, ut aliud exemplum afferam. J. Jac. Moser, Lebensgeschichte von ihme selbst beschrieben. 1768. s. l. p. 12 de se narrat: „Als ich einem Praeceptor freywillig wochentlich zweymal 100, einstens aber auf einmal 1000 Verse in allerlei generibus brachte, warf er das Buch voller Unwillen von sich und sagte: Narr! meinst du, ich habe eine Besoldung allein auf dich? Und der Rector Gymnasii sprach, als ich ihme freywillig allzuvile lat. Reden brachte, zu mir: Tu es moleste sedulus."

3) „His fortasse [intellige subsidia ad solvendum aes alienum Noribergae contractum] facile nunc carere poteram, edictum si nuperrime non obstitisset. Celebrabat nuptias senatoris Imhoff filius nobilissimus; item alius. Compellabant me, rogabant, instabant magni viri, doctores, iureconsulti, theologi, et alii, ut carminis aliquid iis conficerem. Id fore non tantum ex usu meo, sed et scholae honorificum

Digitized by Google

aliis, quod magna carminum copia obruebantur, quae ut legerent, ut probarent, insuper rogati et flagitati sunt. Ne longior sim: unum Taubmannum exemplum habemus omnium fere illius temporis poetarum latinorum: omnium idem de arte poetica iudicium; eadem studia, eadem patrii sermonis contemptio, eadem doctrinae affectatio et ostentatio; eadem sui et inter se laudatio atque assentatio; eadem omnium importuna sedulitas, quae alios homines vel invitissimos carminibus ultro celebrabat ac paene opprimebat; eaedem omnium querelae, ubi quis non satis laudatus, vel minore, quam exspectasset, praemio ornatus sibi videretur.[1])

---

ut cum maxime. Sed edictum non patiebatur vestrum." Ex ep. ad D. Abb. M. Ad. Franc. „Agnosco me peccasse in hoc, quod D. Rectori carmen illud prius non obtuli, antequam Principi offerretur." Ex ep. ad Gurkfelderum praecept.

1) Singula huius loci verba totidem locis ex epp. Taubmanni explicare et confirmare possum, sed pauca sufficiant. Ex ep. ad Hoffmannum: „Venit superioribus diebus poeta quidam ad vos exhibens carmen „Principi nostro Jeorgio Marchgravio" inscriptum, novo quodam invento: illudque formulis suis, tropis et schematibus locis plus triginta, semet iudice, ita exornavit, ut iussus abs te sit ipsi etiam Principi coram offerre. An factum, nescio; hoc scio, istum tantum praemium accepisse, quantum qui nihil. Vide Hoffmanne, quanto sint in pretio Musae antiquariorum juxta ac recentium. Hic bonus socius nihil reportavit, etsi adulatorie admodum et civiliter ipsum Principem Jeorgium maluit quam Georgium, terrae cultorem et rusticum, appellitare." Ex ep. ad M. Gurkfelderum praeceptorem: „Elaboravi in poesi per annos novem prae ceteris plurimum, unumque id semper studui, ut fama scholae nostrae magis ac magis hoc modo increbresceret: sed mihi cessisse pessime, eventus ostendit. Caeteri sibi laudem, honorem, promotionem, gratiam, favo-

Digitized by Google

Praeter multa carmina minora Taubmannus in schola Heilsbrunnensi composuit Gynaeceum, Martinalia et Bacchanalia, quae duo poemata posteriora primo anno, quam Heilsbrunna discesserat, Witebergae typis excudenda curavit. Singula carmina, quoniam ad permultos homines mittenda erant, saepius descripsit, quamquam hunc laborem molestissimum sibi esse ipse plurimis locis dicit.

Lauro eum poetica[1]) iam in gymnasio a Paullo Me-

---

rem hinc acquisivere; ego vero elatus, superbus, mendicus, impudens et nescio quid praeterea ob hoc studium audio. Qui sim, novit nemo, quam ego et Deus melius. Si hoc lucrabor, vale poesis. Occupabor posthac iis, quibus caeteri, studiis, cum praesertim illud non sit de pane lucrando; ad studium theologiae et artium bonarum me principi obligavi. Si quid tamen in posterum poetabor, mihi et deo meo poetabor domi."

1) Res satis nota. De Petrarca, qui primus a. 1341. Romae lauro coronatus esse dicitur, cf. E. Ruth, Gesch. d. ital. Poesie. Lpzg. 1844. I. p. 541. — Mencken, de Charlataneria Eruditorum. Amst. 1716. p. 143 sqq. de poetis laureatis facetissime iocatur eorumque iactantiam satis acerbe exagitat: „Constat de Ludovico Ariosto, quod, cum ab ipso imperatore Carolo V. lauream accepisset, tanto repente gaudio fuerit perfusus, ut velut oestro percitus per omnes plateas cursitaverit, ipso Rolando furioso, quem carmine descripserat, longe furiosior." De Melisso cf. Zitter, Vita P. Mel., edita a Gutenacker, Wirceb. 1834 et quae accuratissime disputat Creuzerus l. l. p. 9 sqq. Zitter p. 48, „Poetas probos et honoribus dignos — Poetica lauro, quod comes Palatinus esset, libentissime condecoravit. Erant Melissi aetate non pauci, qui poetae laureati nomen et honores appeterent. Licebat eis, ubicunque vellent, in artis poeticae facultate publice legere, docere, scribere cet., licebat uti cera rubra. Cum lauro dabatur annulus cet."

Digitized by Google

lisso ornatum esse ab omnibus, qui de Taubmanno scripserunt, pariter affirmatur. Sed mirum sane videtur, in epistolis nullam eius rei mentionem fieri, quandoquidem eo tempore mos iste nondum in contemptionem venerat, sicuti paulo post factum est, et Taubmannus ipse, honoris gloriaeque nequaquam despiciens, quo modo per iocum ab Homagio coronatus sit, periucunde satisque abundanter exponit.[1]) Hoc unum epistolis cer-

Ibidem etiam virgo commemoratur pererudita Britannica (Elis. Ioanna Westonia), quam lauro donavit Melissus; de qua plura disputata reperio apud Lehms, Deutschlands galante Poetinnen etc. Anhang ausländischer Dames etc. Frankfurt a. M. 1714. p. 320. Nemo nescit, quam contemptus hic honor Melisso senescente et paullo post eius mortem (a. 1602) in Germania fuerit. Cf. ipse Taubmannus in Diss. de Ling. lat. p. 94 sqq. et Ebert l. l. p. 96 sqq. Ceterum, ne quis durius de tota re iudicet, etiamnunc, si velis, similia deliramenta facile invenias. Nec soli Germani eiusmodi nugis dediti fuerunt. Cf. Ruth, l. l. I. p. 151 sqq.

1) „Neque hoc praetermittendum est, etiamsi me garrulum voces. Vocatus sum nuper laureatus poeta, et fui laureatus in coena quadam. Vis scire ubi? Suobachii. Noriberga rediens diverti Suobachii in hospitio publico. Id inaudiverat Homagius, senior poeta; me vocat in aedes; compareo. Bone deus, non possum dicere, quo gestu, quibus verbis me acceperit; numquam enim me antea viderat, nomen tantum notum erat. Accumbimus: Do ſpricht er zum Weib, gehe hin, ſeude im ein eſen Krebs. Er iſt ein junger Poet; er kann dich wol berühmt machen. — Die Weiber wollen ſunſt gern geruemet werden. Illa affert cancros: Juppiter! ego nullum unquam ederam, nec modum sciebam tractandi eos. Ede, poeta, ede, inquit. Ego accismis*) satis diu utor; tum:

*) ἀκκισμοῖς. De cancris sicuti de tota re vide etiam carmen Taubmanni ad Homagium missum in Taubmanni Columbb. poetic. Witeb. 1594. p. 176 et in Taubmannianis. (Frankf. u. Leipz. 1722) p. 239.

Digitized by Google

nitur, Taubmannum, ut ad Melissum carmina sua mitterentur, saepius ab aliis petiisse. Egomet veram sollennemque lauri donationem Witebergae demum factam esse existimaverim, et primo quidem anno, quam Taubmannus eo se contulerat. Namque ipse[1]) a. 1602 hoc modo scribit: „Melissus annis abhinc novem cum Rhodomanno ordini poetarum me adscripsit.“ Qui recte numerat, ad annum ducitur 1593, quo anno ineunte Taubmannus iam per octo fere menses Witebergae in civitatem academicam receptus commorabatur. Aut fefellit igitur Taubmannum memoria, aut Heilsbrunnae gymnasii alumnus coronari non potuit. Porro autem verba „cum Rhodomanno“ nihil aliud significant, nisi eum ipsum, qui Witebergae esset, simul cum Taubmanno lauro ornatum esse; ad quae si praeterea illud addideris, quod honor iste utrique tributus iisdem litteris[2]) consignatus fuit, de loco huiusce tantae

---

Edepol, domine poeta, non esurio; coenavi modo in hospitio. Tum aliud dicebam; postremo fateor ingenue, me nullum unquam edisse cancrum, neque modum scire. Effusissimo cachinno reboat et addit: So lernts heut von mir, et aperiebat mihi cancrum. Postea afferri iubet lauream coronam suam, surgensque mihi imponit his verbis: hanc tibi crescenti poëtae coronam impono aridam, ut vena mea est; paulo post (deo adiuvante) dabitur tibi viridis, ut vena tua est. Ego pudore suffusus sedeo laureatus ad mensam, loquor laureatus, poto laureatus, rideo laureatus, laureatus omnia agebam.“ Ex ep. ad G. Specknerum.

1) Diss. de Lingua lat. Witteb. 1602 p. 97. Cf. Ebert, p. 110 sqq. et p. 154.

2) Schediasm. poet. Witteb. 1610. p. 795:

Iam sertum e Lauru fronti praeponere avebam,
Quam mihi communem frons Rhodomanna gerit,
Aeterna cum laude mihi: quod dignus habebar,
Quem sociaret idem iure diploma pari.

Digitized by Google

rei vix amplius dubitabis. Quamquam tota haec questio admodum levis ac paene puerilis videatur.

Quibus rebus expositis restat, ut pauca addam, quae quum ad totam vivendi rationem, tum ad mores Taubmanni pertineant. De infirma eius valetudine deque egestate iam supra satis est dictum. Atque erant sane haec mala magna et gravia; quamquam multo magis vehementiusque agitabatur incommodis iis, a quibus vix ullus puerorum vel adolescentium convictus abesse potest, invidiam dico, calumnias, delationes. Atque ipse, quum aliquid esse sibi videretur, minus fortasse modestus fuit quam debuit, liberiusque,[1]) quam magistri et alii ferre poterant, pro ingenio suo et loqui et scribere solitus est. Pariter enim abhorrebat a simulandi atque ab dissimulandi arte. Ita facile delatores reperiebant, cur accusarent Taubmannum, qui saepe a criminationibus sese defendere cogebatur.[2])

---

1) „Apud te est scriptum illud nostrum? Sic enim audio. Cuius auctorem me dicunt. Purus putus illius sum auctor. Fateor, non nego, sed in partem. Quis enim alius hoc faceret, nisi qui primus? At is ego in schola quidem (pudenter hoc a me dicitur, haud confidenter). — Eo ingenio sum: σκάφην λέγω σκάφην. Das gefallet den unſern allhie nicht allewег; idéoque nomen Taubmanni saepissime febricitat. At ego durabo perduraboque et aliquando (mirante Livore) epinicia cánam laeta Candori et Virtuti et avertentia sacra faciam Invidiae et Pallori.“ Ex ep. ad Frobenium. — „Ich glaub, ich hab wohl ſoviel im Cicero geleſen, als mancher, der viel davon ſchreiet. Ich hab noch kein Ciceronianum hie gehöret. Audebo dicere: detur mihi tempus commodum; ich will ſehen, ob ich nicht ſobald ein epistolam oder orationem, quae Ciceronem sapiat, ſchreiben könnte, als deren einer, quibus Cicero plurimus in ore est, in scripto nullus.“ Ex ep. ad Rectorem.

2) „Novam calumniam, sed audaciam non novam, accepi

Digitized by Google

Cur tam diu Heilsbrunnae retentus fuerit, etsi cornua usitato illo depositionis more iam a. 1590 Tubingae deposuerat,[1]) ipse magis significat, quam aperte dicit.

---

hesterno die. Ausus est quidam, fretus fortasse gratia aliqua, quae ei est tecum aut studio calumniandi aut mei supprimendi — affictam mihi calumniam ad te deferre: ex me auditum esse, me sine tua opera posse promoveri, et quae reliqua fuere. — Testor Deum cardiognostam, a me numquam tale quid dictum, quantum animo recordari possum meo. Sed quid immoror? Conscia mens recti famae mendacia ridet."*) — „Es wird oft ein wort weis gered, so gehet ein solcher calumniator hin und kehrets eim im maul umb und heist es schwartz." Ex ep. ad D. M. Adam Franc. „Ad alterum quod attinet scriptum dominis nuper exhibitum, scio, ut sciunt omnes mecum, quid egerim; nec magis reus sum, quam eorum ullus; neque adeo me peccasse fatebor, quia verum dixi; si quid peccatum est, non solus peccavi. Ita sentio, ita scribo; ita loquor in posterum etiam. — O liebe Herren praeceptores! könnte ich also hinder dem berg halten und den Fuchsen bergen, ich wold auch oft besser angesehen sein, als ich bin; sed hoc me perdit, quod scapham scapham dico, et ore eloquor, quod corde sentio." Ex ep. ad Gurkf. praec.

*) Ovid. Fast. 4, 311.

1) Quid sit cornua deponere, quid depositio, quid depositor, vide Grohmann, Annalen der Universität zu Wittenberg. Meissen 1801. II, p. 217 sqq. Totum depositionis ritum multis verbis nuperrime exposuit Oskar Dolch l. l. p. 156 sqq., qui cum Grohmanno in eo falli videtur, quod hunc usum saeculo XVII. attribuit. Taubmannus in ep. a. 1590. rem utpote notam satisque vulgarem tangit. „Quod posterius, etsi tanti momenti non est, si adsit, magno tamen esse solet dedecori nostratibus, si absit; quod res testatur et ex his nostris nonnulli, qui iam deplorant, quod in omnem vitam Beani (cf. Dolch p. 150) audire coguntur." Ex ep. ad Rectorem, qua rogat, ut depositionis causa Tubingam proficisci sibi liceat. In alia epistola Henrico Frejo,

Digitized by Google

Sive non satis progressus videbatur in aliis disciplinis,[1]) sive, ut fama erat hominum, Georgius Fridericus gymnasium in academiam trasformare voluit, sive, quod maxime probabile est, contentiones dissensionesque Lutheranorum et Calvinistarum causa fuerunt:[2]) Taubmannus

depositori Tubingensi, aliquot Heilsbrunnenses commendat rogatque, ut verecunde et moderate cum iis agat. „Idque facies propter Taubmannum tuum, quem amas. Nam commendari a me inprimis voluere. Tu fac ut sentiant, commendationem sibi profuisse. Sind gute Kerl, ſundlich der Scholberg mit dem rothen Kopf."

1) „Aber haltet feſt, liebe Herrn Mäcenaten und Patronen: laſt euren Taubmann nit ſtecken. Si a vobis is deseritur, periit actutum. Sed dicunt: Nostri sunt boni Graeci, boni Latini, valent iudicio, praecedunt loco etc. Quid ego? ſoll ich ſagen: Ich auch? Wils wagen et dicam: Sie. ſind graeci: ich auch; praecedunt loco: ich ſitz auch zimblich weit droben; ſie weren gern draußen: ich noch lieber. Ecce, omnia conveniunt. Immo ego aliquid plus: Ich bin auch ein guter Teutſcher, id quod hîc apparet. Ignoscite, Maecenates et Patroni, loquor arrogantius: sed profecto cogor. Provocir mich einer, welcher es ſey, nullum metuo." Ex ep. ad D. D. Nic. Statmannum et M. Hoffmannum.

2) „Academiae sunt inquinatae veneno Calviniano. Ideoque ut moram hanc patienter feratis, vos hortor, ait superattendens; Princeps nullo modo in causa est, quo minus possitis hinc migrare." Ex ep. ad Petr. Schrammium. In margine additum est: „Ich wold, daß ſie (die Calviniſten) der teufel all holete bis auf einen, der die botſchaft brechte." — In ipsa Academia Witebergensi multi tunc erant Calvinistae. „Si Witebergam fortassis mittendi sumus (id quod coniicere possumus), quid impedit, quo minus nunc mittamur? Si reliqui omnes ibi possunt esse, et nos tres cum iis facile poterimus. Atque sumus (dei beneficio) ita fundati in doctrina, vestra praesertim opera, ut non facile transversum agi possimus ab isto Calvini turbine: modo deum oremus." Ex ep. ad M. Adam. Franc. Cf. praeterea edictum principis a.

Digitized by Google

decem plenos annos alumnus fuit scholae Heilsbrunnensis. Non igitur mirandum, si duobus ultimis annis saepius de diuturnitate illius mansionis queritur,[1]) si discessum vehementissimo desiderio exspectat, et, ubi tandem dies profectionis venit, alacer laetusque eum tamquam liberatorem excipit. Die II. m. Maii. a. 1592. in academiam Witebergensem abiit.[2])

Witebergae autem, quum tres annos et semestre in iisdem, quibus Heilsbrunnae, studiis versatus esset, omnium laborum fructum tulit exoptatissimum: poesis enim professor creatus et nominatus est.[3]) Ita ei contigit, ut,

1592. ap. Grohmann l. l. II., p. 138. „Beneben dem iſt auch an uns gelanget, daß etzliche Hungari ſich bei Euch Studierens halben aufhalten, welche aber dem Calvinismo ſonderlich verwandt ſeyn ſollen; da es nun dieſe Gelegenheit, ſo wären wir nicht gemeint, ſie zu dulden. Darum, ſo wollet Ihr ihnen vermelden, da ſie mit der Kirchen dieſer Lande in professione nicht einig und alſo einer andern Religion, ſich uff ſolchen Bahll an andere Oerte zu wenden."

1) Non semel epistolis finem facit his verbis: „Dabam Heilsbrunnae, vellem alibi." In una (a. 1589) addidit: „Raptim ad Fontes salutares; mihi vero nihil minus. Mallem esse in quovis loco libentius, quam heic."

2) E sex epistoliis, quibus Kal. Mai. 1592 amicis et patronis vale dicit, hoc unum addam. „Simoni Eiseno I. U. D. concil. Onoltzb. Salve ab eo, cui tu carus et magnus, Taubmanno, immo vale; denn cras flieg ich aus, weil das Taubenhaus offen ſtehet. Troiam toto decennio vix expugnarunt Graeci tanta navi, tanto milite, tanto astu; at ego hanc Troiam Closterinam totidem annis Columbis [h. e. carminibus] evici. Sed st! Ich mus fort, daß nicht etwan jemand komme und ſpehr das foramen wider zu, ut nuper factum. Tuae tuisque salutem. Ignosce, vir magne, Maecenas, et scito me esse Taubmannum."

3) „Und dieweil Wir berichtet worden, wie in der Universität ein gelehrter junger Mann, welcher ein fürtrefflicher

Digitized by Google

qui tardius exisset, velocitate moram compensaret. Quo modo muneri suffecerit, quos libros ediderit, quam uxorem duxerit, quot liberos habuerit, quam carus fuerit omnibus, suis, collegis, civibus, principi: ea omnia apud Ebertum uberius narrantur. Ut per totam vitam, ita etiam moriens deum, cuius benignitatem et clementiam tam saepe expertus erat, ante oculos et in mente habuit. Quum enim appropinquante iam morte ex eo quaereretur, quid ageret: Hic iaceo, inquit, et luctor cum Domino meo Iesu, ad exemplum Iacobi, non dimissurus eum, donec animae meae benedicat. Mortuus est die 24. m. Mart. a. 1613. annum aetatis agens octavum quadragesimum,[1]) et sepultus iacet Witebergae in coemeterio suburbano ante portam Elystranam.[2]) In epitaphio voca-

Latinus und guter Poet seyn soll, mit Namen M. Frid. Taubm., vorhanden, und jederzeit in Acht zu haben, damit solche Leute als die der Jugend sehr nützlich, bei der Universität erhalten werden, so begehren wir genädigst etc." Ex edicto Principis a. 1595. Vide Grohmann l. l. II. p. 206.

1) De causa praematurae mortis aliter fortasse sensisset et scripsisset Oertelius (l. l. p. 50 et 115), si infirma adolescentis Taubmanni valetudo ei nota fuisset. Cautius Moreri, Iselinus alii in lex. maioribus. Moreri (edit. Hispana, Paris 1753) in voce Taubm. haec habet: „Su applicacion al studio le accareo una calentura, de que murio cet." — „Daß er auch für die Freuden der Tafel nicht unempfänglich war, wer mag ihm das zu einer Zeit verargen, wo an allen Höfen Deutschlands Mäßigkeit im Genuß etwas fast ganz Unbekanntes war, zumal da dieser Fehler ihm nie zur Gewohnheit wurde und ihn zu den Arbeiten seines Berufes nie untüchtig machte." Ebert l. l. p. 32.

2) Oratio funebris (Erasm. Schmidi) haec habet: Erat Taubmannus noster humanus, affabilis, comis, facundus, placidus, candidus, omnium horarum homo, in seriis gravis et

Digitized by Google

tur vir pietatis zelo publice notissimus, literarum graecarum[1]) et latinarum vindex acerrimus, barbariei exstirpator longe felicissimus.

III. EPISTOLAE TAUBMANNI ADOLESCENTIS.

1. D. Rectori (Hertelio).

„Stultorum incurata pudor malus ulcera celat" vetus poeta[2]) dixit. Inter hos quis me immerito numerari posse censeat? Ego vero, clarissime D. R., is ipse sum, qui mea ulcera incurata celavi, usque dum ipsa propalam in lucem erumpunt cumulatim. Nunc cum celari amplius non possint, ipse Tuae Humanitati ea plane

---

serius, in aliis iucundus; — liberaliter eruditeque iocosus cet. — Cum his cf. Lütke, Leben des G. Rollenhagen, Berlin 1846 (Progr.) p. 9: „Im Umgange war er [Rollenhagen] ein durchaus heiterer und harmloser Mann, der, wie sein Zeitgenosse Taubmann, wegen seiner treffenden und scherzhaften Bemerkungen lange in lebendigem Andenken blieb." C. Fr. Floegel in libro: Gesch. d. Hofnarren. Liegn. u. Leipz. 1789. p. 288, sqq. minime vere de Taubmanno iudicat. Cf. F. W. Genthe, Fr. Taubmann ꝛc. Leipz. 1859. p. 27.

1) Quo iure Oertelius (l. l. p. 67) Taubmannum graecis literis non satis eruditum fuisse dixerit, equidem plane nescio. Certe gymnasii alumnus eas nullo modo neglexit. Namque, ut alia praetermittam, in epistolis saepissime singulos ex graecis scriptoribus locos affert, et, quod tunc a multis deridebatur, notas vocis (accentus) sive „titellos" accuratissime addit. Cf. Epp. Obsc. Virr. ed. Teubner. Vol. I. ep. 6. p. 16.

2) Hor. Epp. I, 16, 24.

Digitized by Google

denudabo et detegam, paucis verbis usus, ne T. H., quae et ipsa (proh dolor) non optime se habet, molestem, aut iusto diutius detineam. Rogo igitur et obsecro majorem in modum, ut T. H. haec parvula perlegat, et, quid mihi aegre sit, cognoscat: quamquam illud verbis a me dici satis apte non potest; melius intelligo et sentio, quid me urat, quam ut eloqui possim. Conflictatus sum hactenus fere per biennium cum morbo isto odioso (salva reverentia) scabie, qui mihi non tantum corpus totum deformavit, vires nativas exsuxit, dies noctesque miserandis modis me excruciavit; sed me ad omnia remissiorem et negligentiorem et ineptum reddidit. Hoc tamen tuli et fero; nec nunc quoque de eo conqueror, quamquam durum et satis molestum est onus. Est aliud et longe acrius et periculosius, quod me affligit et macerat et cuius causa nunc adsum, D. Rector. Non aliter intrinsecus intra corpus meum comparatum esse sentio, ac si connexio nervorum et socia membrorum officia plane nulla essent, sed omnia luxata et conscissa forent. Hinc vires solidae omnes vanescunt meae, ut ipse me sustinere et portare vix possim. Atque obtorpescit peritque omnis illa prior alacritas et amor, qui in me fuit, artium liberalium, ut studia mea jam non progredi, sed regredi, non crescere, sed decrescere manifesto deprehendantur. Me ipsum saepe admirabundus contemplor: qui pedes! quae manus, qui venter, quod corpus! tantum cutis ossibus haerens; et vultus, ut credo, etiam satis indicio est. Cumque hoc malo satis longum tempus iam conflictatus sum et adhuc conflictor quotidie; numquam tamen illud detegere plane volui, semper me spe inani lactans, fore, ut aliquando sese remitteret et ego ab hac cruce et dolore liberarer. An existimat D. Rec-

Digitized by Google

tor, me semper frustra tanto conatu a Tua Humanitate petiisse abitum in patriam ad meos? Profecto non ita. Hoc me impulit, hoc me coegit, ut tanto conatu ante hoc tempus ad meos abitum desiderarem: nihil aliud. Quo quidem tempore etsi D. R. abeundi facultatem mihi non concessit, utpote, qui commodis meis consulere et quid ex re mea esset, spectare volebat: tamen iussit me literis causam meam comprehendere et tutoribus ac propinquis, ablegato tabellario, exponere. Quod et factum a me non una, sed vice altera, propriis meis sumptibus: sed irritum omne fuit. Quamquam tutores meos facile in meam sententiam adduxissem (ut qui mihi ante biennium non semel, sed aliquoties stipulata manu promiserunt, se, quandocunque hic durare non possem aut vellem, in alias scholas aut academias me missuros esse): tamen reperti sunt, qui tutoribus meis facile assentientibus aliud insusurraverunt et inspirarunt, garrientes: ne faciatis, ne faciatis; brevi tempore elapso ipse Princeps stipendio academico eum donabit; ita potest sua integra retinere et de Principis vivere, cum praesertim non minus Principi obligatus sit, sive de suis, sive de Principis vivat. Nimirum, si diis placet, post paucos menses stipendium Principis habebo. Isti homines, D. R., qui neque unquam elaborarunt in artibus, neque sciunt, quae sit studiorum et studiosorum conditio, praesertim eorum qui hic vivunt; isti, inquam, hoc suadent meis tutoribus, non ut studiis meis et valetudini favere et consulere cupiant, sed mera avaritia; poenitet eos pecuniae, quam putant, si bonis artibus absumatur, totam perire et frustra insumptam esse. Et malunt, ut valetudinis et vitae ipsius iacturam patiar, quam inanis

Digitized by Google

pecuniae. Quo mihi pecunia, summe Deus, bona valetudine amissa? O sordidos et avaros homines!

Sed desino, D. R., et ad alteram instituti partem progredior, propter quam hodie, quo paululum respirare e morbo datum est, T. H. accessi.

Sicut autem, D. R., ulcera venenosa aut alia vulnera neglecta et non curata principio vires sumunt et proxima quaeque inficiunt, ut saepe novum malum et novus morbus sese agglutinet: ita et mihi evenit. Conatus sum illa, quae dixi, celare. Quid fit? succrescit et exardescit novus et acrior longe illo priore morbus, quicum iam per quatuordecim dies et ultra negotium fuit. Perpetior compunctiones, nunc in hoc, nunc in illo latere, nunc remissiores, nunc acriores, quasi ferro acutiori aut alio instrumento perfodiar. Stringiturque umbilicus ac retrahitur intrinsecus, ut qui iamiam per spinas et dorsum a tergo sit erupturus; ut saepe omni sensu abeunte in deliquium collabar cum vitae periculo. Afflixit me etiam illud, quod intra spatium quinque dierum naturae opus (salva reverentia) non potui perficere; quin et hoc non mediocres dolores mihi creavit. Insuper accedit illud, quod me inprimis etiam debilitat et enervat, quod per noctes satis multas hactenus somnum oculi nullo modo admittere nec voluerunt, nec potuerunt; causamque tamen nullam scio, cum neque curae, neque studia illum impediant, ex quo fit, ut, si nunc ex lectò me deducere conor, nutem et labascam, nec pedes me sustentare suis valescant viribus. Quae omnia D. R., qualia sint, re potius experior, quam verbis profero. Nemo enim melius sentit, qua parte calceus se urat, quam qui eum gestat. Video igitur eo ventum esse, ut, nisi medium aliquod inveniatur, in periculum vitae

Digitized by Google

extremum incurrere mihi necesse sit; aut mihi, si benignius paulo mecum agitur per totum vitae meae curriculum adversa valetudine conflictandum sit. Usus sum quidem iam fere duas septimanas balneatoris nostri ope et medicamentis; sed nullam inde percipio remissionem doloris et mali, atque idem est, ac si nunquam quicquam ille applicasset: immo augeri potius quam diminui morbum meum intelligo, posteaquam suis nescio quibus herbis et potionibus me macerat. At, inquis, D. R., non semper aut raro cogeris decumbere, ut tolerabilis tua valetudo esse videatur. Verum est, D. R., non semper decumbo atque saepe mediocri et tolerabili utor valetudine; sed profecto, quam constans in Aprili aër est, tam constans mea est valetudo. Hodie bene me habeo, ut spes eluceat non parva; crastinum ubi venit, redit in antiquum curriculum valetudo, atque eadem est vel peior, quam erat nudius tertius. Hanc inconstantiam iam fere, ut dixi, per biennium nunc remissiorem, nunc acriorem, sum expertus et adhuc experior.

Haec igitur me impellunt, me cogunt, me protrudunt, ut, dum adhuc aliqua spes apparet, medium aliquod quaeram. Quo autem quaeram? quo? nisi apud te, D, R. In te enim omnis mea spes sita est: tu potes me perdere, tu potes iuvare. O ne me deseras: si deseris tu, pereo illico. Quapropter venio et peto supplicibus votis, et obsecro et obtestor, ut me in patriam ad meos proficisci sinas, ut ibidem coram agere possim cum meis tutoribus, cur hic durare diutius non velim aut possim: ut me in academiam Witebergensem (quemadmodum ante hoc tempus mihi fuit promissum) ablegent, ut hoc modo mutato coelo et aëre corporis etiam valetudo mutata feliciorem, quam habet, progressum nanciscatur. Nam neque cre-

Digitized by Google

dunt, nec credere volunt mei tutores tam tristem et miseram esse meam conditionem: ut oculis me intueantur, mea verba, quae praesens cum praesentibus loquar, audiant. Et ut hoc mihi concedas, D. R. et primo loco colende, clamant nostrae leges; quae volunt, si quis ob adversam valetudinem vel ob alias causas hic durare non possit, Dom. Rector abitum ad suos petenti benigne concedat. Et mihi non modo magnam spem, sed ipsam rem promittere videtur Tua Humanitas, qua non tantum me, sed etiam reliquos hactenus es prosecutus. Atque hoc si impetravero, D. R., non abitum in patriam impetrasse me putabo, sed ipsam vitam et valetudinem meam: et te huius auctorem et conservatorem (post Deum) in omni vita mea agnoscam et praedicabo. Deumque O. M. assiduis votis orabo et precabor, ut vires tuas et valetudinem in dies magis magisque augeat, ut tandem plene et perfecte omnibus corporis membris uti et Deo in ecclesia et scholis et proximo in hac extrema mundi senecta[1]) utiliter servire possis. Vale!

---

1) Illo tempore (a. 1588) opinio interitum mundi imminere satis vulgata fuit. Holle, Gesch. der Stadt Bayreuth. Bayr. 1833. p. 138: „Das Consistorium widersetzte sich der Einführung des neuen Calenders, weil ohnehin der jüngste Tag vor der Thüre stehe.“ „Nachdeme die Welt anfängt, gebrechlich zu werden, so ist es hoch von nöthen, sie mit einer Consistorialverordnung zu schützen.“ Taubmannus in carmine germanico:

„Wie wenig ſind zu dieſer Zeit,
Die freye Künſte thun ehren;
Es thun ihnen am allermeiſten leid,
Die ſie ſollten vermehren.
Drum geht es auch, wie es mag gehen,
Inn dieſer letzten Welt ꝛc.“

Digitized by Google

2. Conr. Leio.

Exhibuit tibi filiolus tuus primitias suae Musulae, quas tu, ut querebatur, aegre inspexisti, quasi suo ipsius ingenio non essent prolatae. Miror, mehercule, nativum et ingenitum vestrum utriusque succum poeticum te non sentire. Sed metuis fortasse, ne aliquando tibi palmam eripiat famamque tuam carmine quaesitam maiore obscuret filius lumine. Dii faxint: pace tua dixerim, Lei. Scito autem, me in illis, quos tibi exhibuit, versiculis, illum nulla parte adiuvisse, nisi quod phrases in vocabulorum silva (ut vocant) monstraverim. Quantus ardor in eo sit, non possum eloqui. Ego autem pergam, et potius iacturam meorum ipsius studiorum faciam, quam currenti calcar non addere. Idque, quod facio, merito tuo omne facio; atque utinam maiora possem! Dixeras item (vix persuaderi possum, ut credam) me debere epigramma aliquod scribere emortuale Godfrido tuo, quod tuis adiungere velis. Quaero, Lei, quo me tanto amore prosequeris? Qua opinione eo devenis, ut aliquid esse meas musulas credas? Vivam ego illum diem, quo vulgata typis mea videam, mea tuis illis adiuncta! Obruis me bene merendo, ut, unde emergere possim ad gratiam, plane nesciam. Sed tuus sum; cum tuis, ut lubet, age. Vale.

3. Alex. Pflugio.

Di melius faciant, quam ut Maecenas meus optimus maximus ille Pflugius sine meis Taubmanni columbis hinc abituriat! Scis, quid velim, Maecenas? te sapida et lepida aliqua laetitia exhilarare, modo fas sit mihi. Ut audivi nuper, te huc venturum, colloquebar cum ali-

Digitized by Google

quot meis, qui plurimi sumus in Plauto, omnium facetissimo et eruditissimo (si quidem Scaligero illi omnium mortalium expertissimo credimus) poeta, et pransi coenatique cum ipso ex ipso utiliter confabulamur: ut elegantem aliquam comoediam ediscerent, si forte occasio se daret, ut Dominos advenientes ea exhilarare possemus[1]). Id fecimus promptissime, atque ego quidem eam personam, quae praecipua est et plurimi sermonis, suscepi. Ita enim tritum et familiarem mihi Plautum feci (absit invidia dicto), ut quovis biduo, horis etiam subsecivis, quamvis comoediam in scenam producere non dubitem. Haec autem nostra est Pseudolus (absque dubio vobis nota), omnium facetissima et maxime ridicula. Atque etiam hanc ob causam haec placuit, quia vilissimum apparatum requirit; quia nulla femina in ea loquitur; quia unica horula instaurari et ordinari potest; quia in conclavi vestro privatim agi eandem commodissimum est. Ich weis, ſie wird den Herrn gefallen. Tu modo, cordatissime Pflugi, optime Maecenas, ita si placuerit vobis, cum clarissimo domino Abbate et domino rectore agas, ut nobis de die, de loco significetur. Paratus enim sum cum meis omni momento. Ich freu mich von Hertzen, wenn ich einen meiner Mäcenaten ſoll luſtig und fröhlich

1) Satis constat, quam usitatum hoc genus exercitationum in scholis saec. XVI. fuerit. Taubmannus partes suas agens aut carmen aliquod recitans agitatiore videtur usus esse gestu. „De illo carmine, quod recitavi die natalicio Principis, hoc addo, me asperioribus verbis a M. Adamo correptum esse, quia satis gesticulatorie illud a me in publico recitatum esset. Sed ego parum curo: indita naturae semina malo sequi. Compositum fuit exordium satis ridicula structura et proinde talem recitationem merito requirere videbatur.“ Ex ep. ad G. Specknerum.

Digitized by Google

machen, qui lepido et hilari a natura sum genio et ingenio. Vale, Maecenas optime maxime, et me clientem cum reliquis Maecenatibus meis fove, move, promove.

4. Ad clarissimum Maecenatem.

Non placet id, quod tantum daemonium ille hominis Scaliger: etiam in initiis poenitere, serum est; potius Ciceronis:[1]) optimus est portus poenitenti mutatio consilii. Et: facilius iis ignoscitur, qui non perseverare, sed ab errato se revocare moliuntur. Auro contra non carum hoc, quidquid est. Sed mecum quid fiat, clarissime Maecenas, res loquitur; me pudet loqui. Peccaveram superiori tempore: fateor. Monitus aliquoties et judicio magis ac magis confirmatus deinceps resipui; redii in viam. Sed tantum abest, ut mihi ignoscatur (non dicam, facilius, cum Cicerone), ut impensius crescat odium et invidia nonnullorum, quo magis ab errato me revocare molior. Ante annos aliquot lubrico istius aetatis flexu et genii mei ductu libris e doctis nonnullorum ad desitam illam et intermortuam (cascam alii vocant; mihi non placet) orationis faciem et structuram declinavi. Alium qui accusare velit istius rei auctorem mihi, huic ego sane non credam, mero si meridie dixerit lucem esse. Qui sint, scio; omittantur, quaeso, istae calumniae; omittantur Leji causa et Hertelii, praeceptorum et Maecenatum meorum, immo patrum. Condonate hoc famae et genio utriusque: non mihi sunt auctores huius erroris, non sunt, ut subinde jactitatis. Vindicandum enim omnino est, et vindicabo nomen praeceptorum, quoad vixero, meorum, omnibus quibus possum

1) Cic. Phil. XII. 2.

Digitized by Google

modis; et vae capiti meo, id si non fecero. Volo autem ego praeceptores, non eos, qui magis pretio conducti et spe lucelli erudiunt iuventutem, quam amore et studio erga ipsos. Candidos volo praeceptores, qui libere moneant discipulum, si monendus; palam in os dicant: hoc rectum, hoc non rectum, vide corrigas; qui non conniveant ad vitia, si qua occurrent, et postea apud alios traducant nomen, et famam ipsorum adulterent et violent. Alioquin vitia vel levia facilius increbrescunt, quam virtutes, etiam luculentae. Praeceptor speculum est, in quod discipulus intuens vitam et mores ad istius conformat. Si praeceptor discipulum non monitum, non auditum traducit immerito, quid huic discipulus? boni aliquid? credat Iudaeus Apella, non ego.

Vindicanda est fama mea, immo salus, quae his calumniis maculatur, labefactatur, destruitur. Segreganda est a me injuria ista, qua isti me onerant. Duriora sunt ista, scio, atque invitus ea loquor, ita me deus amet; invitus plane. Sed verum est, quod comicus[1]) ait: decet, innocens qui sit atque innoxius, servum confidenter et audacter pro se loqui apud herum potissimum. Do ſehe ich nit vater und mutter, nit Freund und patronen. Schweig ich, ſo ſchweigen ſie alle. Solche leut wiſſen nit, was verlaſſene waiſen ſein, wie ich itzt bin faſt in das 20. jhar. O Musae! non enim possum, quin exclamem. Si haec fama iterum ad Aulam illustrem? si ad alios Maecenates meos illustres, amplissimos? apud quos ego hactenus, ut Tua scit Amplitudo, tanto conatu suspicionem istam a me segregare molitus fui. Ad quosdam enim expresse scripsi; und wann ich merkte, daß ich mit wiſſen ein bar-

1) Plaut. Capt. v. 665 (ed. Fleckeisen).

Digitized by Google

baram, obsoletam aut illatinam vocem ſolte inn die ſchulen einführen; ſo wolte ich, daß man mir die finger ſolt abhauen, damit ich ſie geſchrieben. Satisne ad argumentum? Immo plus quam satis, reor. Atque hoc in pectore, non in lingua natum. Evolvant isti, qui obsoletam in me adhuc accusare antiquitatem non desinunt, retro scripta mea, quae biennio interiecto exaravi: si unam voculam cascam (ut volunt), si illatinam, si non ex media antiquitate desumptam, si non ex classico scriptore petitam, monstrare possunt in iis omnibus: utantur me isti suo arbitratu. Sed non possunt isti criticuli, qui ex vulgi faece et culina (ut loquuntur) vocem sumendam clamitant: et qui statim omne cascum vocant ex podice Saturni delapsum, quod ipsis non intelligitur et quos pudet addiscere aliquid a junioribus. Licet exclamare? O saeculum insipidum et inficetum. Me vero non pudet addiscere aliquid a puero quadrienni.

Cavebo tamen eo, quo eruditissimi quique sibi caverunt, quodque non semel ex doctissimo Gurkfeldero audire memini: quando ridiculi, ioci et captionis, rei item inhonestae verecunde celandae gratia quid scribimus, omnino uti licet interdum antiqua et minus obvia voce. Id quod et me interdum factitasse, non nego: et recte quidem. Non legerunt isti mea carmina? non audiverunt? non illa ad nobiles viros scripta, stilo Horatii et Iuvenalis (qui quidem praestat Horatium, si Scaligero credimus)? Non Gynaeceum illud perpetua Tibulli et Propertii imitatione (confidentius dicam, sed verius) ad unguem conscriptum et conformatum? sic enim poëtae eruditi de illo judicant; vulgus ego plorare iubeo: et deploro ipsemet istorum hebetem et sinistram, addo ridiculam in iudicanda poesi rationem. Non etiam au-

Digitized by Google

dierunt publice me recitare carmen de Christophori commento, ad Ovidianam imitationem conscriptum? Non etiam illud de Angelis, ad imitationem Tibulli? Non etiam nuperrimum illud ad imitationem Propertii et Tibulli religiosissime concinnatum? Non item sexcenta alia huiusmodi, quorum omnium exempla ad te transmisi? Nemo est. Es bleibt doch war: vitia cernimus omnes; virtutem nemo. Können wir nicht alle dichten, wollen wir doch alle richten, ut saepe hic apud nos dicere solet optimus vir et doctissimus, quem aeque ac me ipsum amo, M. Codomannus. Wenn der Taubmann ein carmen macht, do ſuchen ſie nur, wo ſie ein wörtlein finden, quod ipsi non intelligunt, lachen und carpiren; was aber guetes drin iſt, do iſt altissimum silentium: hic caecutiunt omnes. Sed non mirum, eos haec ignorare, qui abdita illa poetices mysteria nunquam intrarunt, nunquam degustarunt. Ego satis diu laboravi in hoc studio et tamen fateor, me nihil scire, me adhuc in aditu poeseos stare, adyta nunquam intrasse. Ingenue fateor: ego nostrorum iudicia (paucissimos excipio) de poesi germana et genuina talia non pluris facio, quam pueri alicuius de trivio; atque hoc ideo, quando virorum horum iudicia longe lateque dissentiunt a doctiorum et poetarum. Nec patior ullius censuram nostratium, ad faciem quod attinet orationis; nostratium, inquam, qui somniant, composuisse pedes divinum hoc esse poema. Quid enim caecus de colore? Ich denk hie auch: qui semel verecundiae fines transiliit, eum gnaviter oportet esse impudentem. Non intelligimus, inquiunt, tua carmina. Scio; scivissem profecto vos ea non intelligere, etiamsi tacuissetis. Non satis intelligo ego divini carmen Horatii: ergo malum. Ridet Apollo. Stupidum potius et hebes nos

Digitized by Google

deploremus ingenium nostrum; non carpamus, quae non capimus; non iudicemus, quae non intelligimus, non ex vocula una calumniose detorta universum opus metiamur. Ut is, qui Venerem carpere non poterat, carpebat crepidam[1]) ipsius. Sed nos haec audire nolumus. Verum qui dicit, catharma esto; omnia simulare qui novit, primas tenet. So will ichs nicht thun, und solt ich aus dem Land entlaufen. Verum ist doch verum, und bleibt verum. Sehen es die leuth nit, so siehets aber unser hergott; der hab auch augen. — Nostrates pro cibo habent, omnia assentari; semper adulari; culpam vultu tegere; quidquid interim animus sentiat. Quid multis? Parum abest, quin illis dicam, omnes candidos viros in annulo posse perscribi. Die mögen zischen; orphanorum vindex deus. — Hoc dico: doleo etiam atque etiam, si carminis quid composuerim, multis id placere. Certum est, multis si carmen aliquod placet, nec argutum id, nec eruditum. Me potius ille trahet, qui ait: sat mihi pauci lectores; sat unus, sat nullus; mihi enim et Musis. 6. Augusti 1590.

5. Joach. Dolavio φιλοφιλτάτῳ.

Audi Dolavi,[2]) amice optime, hic paucis, prout nunc sum occupatissimus, quam cum quodam ex tua schola velitationem habeam: isto nimirum, qui dixerat, Taubmannum in voce desidero secundam syllabam si contra morem produxisse in illo suo versu:

Palmes humi stratus socias desiderat ulmos.

1) Ne sutor ultra crepidam. Res narratur de Apelle et sutore quodam. Cf. Des. Erasmi Adagia. Bas. 1533. p. 200. et Apophth. Hag. Com. 1641. p. 482.

2) Fateor me nescire, quis fuerit hic Dolavius.

Digitized by Google

Sed cur dixi in Taubmanni versu? immo versus est Iuvenalis,[1]) non meus, unicam si mutes vocem. Et audio, istum ipsum esse magistrum, mit Gunſt zu melden. Nunc tu audi, magistelle, magistelle ieiunissime, miserrime; crede mihi, miseret me tui ut cum maxime. Nimirum dixeras (sic enim audio): hic, quisquis est, non recte si longam posuit in voce desidero. Dic aperte: ludis me, an ioco ista dixisti? sed serio rem egisti, sat scio: tantum enim collegisti ex ingenti illo tuae sapientiae thesauro. Nondum didicisti, magistelle miserrime, quae apud nos pueruli vix tantilli sciunt? At nondum legi, inquies, Iuvenalem. Video te non legisse: et te pudeat magistrum. Immo non intelligeres, si legeres, sat scio. At, inquies, tun' me his verbis? haec tu de me? hic apud nos? in tam celebri academia? Immo ego et audeo et facio. Te pudeat, grandis asine, tantam tuae scholae maculam inurere. Scio, sunt ibi studiosi nulli academiae secundi et docti viri, immo doctissimi; aber du verratheſt deine Eſelsohren gar gravitetiſch. Es ſolde ſich ein ſolcher Flegel im halſe ſchemen, de re ignota tam audacter pronunciare, et damnare inauditum, indefensum. Quaeso, lieber, veni ad me; ego te docebo prosodiam, qua sum adhuc beatus; aut, si a me non vis discere: sunt pueruli decennes apud nos, qui idem te docebunt; veni modo. Du haſt ein rechten an mir kriegt, quisquis es, du hetteſt warlich kein beſſern treffen können. Ich red teutſch, auf das du verſteheſt, was ich mein; teutſch rede ich. Immo si errassem, debuisses tamen, si mica salis in te esset, id tegere. Nescis? homines sumus. Si petis exemplum illius vocis, desipis et solem

1) Sat. VIII, 78: Stratus humi palmes viduas desiderat ulmos.

Digitized by Google

in meridie tibi monstrari cupis. Drumb zeuche hin und komb nit wider. Ich will dir beſſer abkehren, si redieris, tu grandis asine, quisquis es. Et interea, prout de me meruisti, vale. —

Profecto, Dolavi, vestram academiam ego et laudatissimam et optime constitutam, tum doctis et professoribus et studiosis abundantem semper iudicavi et adhuc in ea sum sententia. Sed valde miror den Eſelskopf, quisquis sane est, qui tam audacter me damnaverit, si verum ad me datum est, ex auditu enim arguo.

An iste, dixissem paene asinus, nondum didicit, quae apud nos pueruli duodecim annorum sciunt? Heiß ihn hieher kommen, wir wollen ihn prosodiam beſſer lehren. En tibi exempla ex Horatio meo, quem ego imitari conor, ut nosti; heis es denſelben groſen poetam, heb ſchir geſagt Eſelskopf,[1]) ut discat posthac cautius pronunciare. [Exempla, ut in re notissima, omitto.] Possim infinita afferre ex Tibullo, Propertio, Catullo et aliis. Aber was ſoll ich viel machen? Iste sciolus, opinor, doctior est secum his poetis omnibus. Proxime tibi aliud mittam: und laß es denſelben groſen poeten ſcandiren. Iſt er luſtig, ſchreib er mir ein carmen: wir wollen einander aufneſteln.

Quod hic acerbius nonnihil scripserim, feci iusto animi dolore ad tuendam meam fidem et innocentiam. Gedenke ſelber, es thuet warlich einem wehe. Et profecto invitus haec scripsi. Ich laß omnes bonos viros judiciren de hoc facto meo. Ex animo loquor, vestra academia an ulla sit in Germania hoc saeculo praestantior,

1) Ne quis offendatur inhumanitate verborum: viri docti saec. XVI. non pepercerunt contumeliis gravissimis multaque nova conviciandi causa vocabula excogitaverunt, veluti Jos. Just. Scaliger non semel usus est voce asinitatis.

Digitized by Google

haud facile dixerim. Utinam conditio mea esset talis, ut et ego ibidem vivere possem.

Profecto, Dolavi, paene lacrimans haec scribo, qui tam iniquos apud vos iudices habeam. Hoc addo: mi Dolavi, mitte mihi, quaeso, tuum de Re poetica Scaligeri librum; perlustrabo in transcursu, et quae hactenus multa notavi, ex hoc libro plenius demum omnia consequar. Fidium testor et columbas meas omnes simplices, salvus et incolumis restituetur.

Tu nosti meum ingenium, Dolavi, daß ich kein wörtlein ſetze, ich habs denn zuvor zehnmal beſehen. Et venit a sidus, cuius certe longam nemo non novit.

6. G. Reccio, iudici nostro.

Salutem a Taubmanno. Iam diu factum est, postquam scripturio, quae nunc scribo. Vides (et si bene te novi, condoles mihi), quam inique habeantur studia hic mea. Migramus cottidie; nec tamen emigramus ex hac (audebo dicere) πλινθουργία: mihi certe talis. Funestus hic locus Musis meis, nisi dea Respiciens adhuc respiciat eas in tempore; quamquam quid dico, in tempore? iam pridem factum opportuit. Scis aetatem meam? grandis ea; profectum? indignus, indignus tot annis. Pudet profari: Artium Magistri iam audiunt, qui me magistro hic usi: et tamen nostrates audire nolunt, studiis meis hac mora iniuriam fieri. Sexcenta pro se adferunt. Da veniam, cordate vir; ego omnes istorum causulas uno difflarem spiritu, quasi ventus folia aut paniculam tectoriam; etiamsi μάλα μυρίοι vel plures essent, si lingua mihi libera. Linguis pernoscendis vacare me dicunt, iisque solis. Nollem hoc adderent: et tamen, quid peccarem, quando ita peccarem? Potius

Digitized by Google

hoc agam, quam nihil. Et profecto, nisi id agerem, Epimenides non ultra fabula esset, ego essem: hoc est; ut planius dicam, dormirem perpetuum somnum. Quasi vero, si vellem, aut si commode possem, non aequo passu decurrerem etiam illum campum, in quo solo nostri tripudiant et reges sibi videntur. Dicam tibi, docte vir, nemini adhuc dictum. Detur mihi ex eorum numero, quem doctores nostri expertissimum censent in studio suo. Permutabimus: largiar illi biennium totum ad mea; mensem det ille unicum mihi ad sua: si non pares aut uberiores etiam ego fructus ex ipsorum agellis collegero, dabo herbam, quin etiam (ut olim Lentulus) suram[1]). Vide, quam ridiculus mihi ipse factus sim, et fortasse etiam tibi. Sed scio, apud quem hoc dicam. Reccius is est, hoc est, vir candidus, eruditus et non ad hoc aevum. Antiquitatem etiam meam sugillant; sed suo quodam sensu; absque omni doctorum assensu. Nollem se ita proderent nostri. Pauca in aurem, Recci; si bos in lingua[2]) (quod aiunt) non esset, confunderem eos publico scripto et docerem, de antiquitate quid velim. Aut enim nostri errant in censendo, aut omnes eruditi, qui mea legunt, valde in iudicando. Longe aliter sentiunt, qui foris sine praeiudicio iudicant de re, ex re ipsa. Sed desino horum; ne fiam Arabicus tibicen,[3])

---

1) Vide Pauly, Real-Encycl. II, p. 692, 5 et Lübker, Real-Lexicon cet. in nom. Lentuli.

2) Vide lex. graec. in v. *βοῦς*. „In eos qui non audent libere quod sentiant dicere." Des. Erasm. Adag. p. 234.

3) „In eos dici solitum, qui a semel coeptis nunquam desistunt." Des. Erasm. Adag. p. 242, ubi plura de hoc proverbio disputantur.

Digitized by Google

qui est in vulgo. Turnebum,[1]) quaeso, utendum da mihi, in aliquot dies. Gratum et nimium me habebis. Salve, vir magne, talis enim mihi es et eris, quoad ipsus ero. Iterum salve a Taubmanno.

7. Laus et amor in M. Ad. Franc., Praesulem Amplissimum, virum eruditissimum, Maecenatem optimum maximum.

Comicotragoediam affero, idque ut partim genium exhilarem tuum, Amplissime Praesul, more meo, quo soleo Maecenates meos curis implicitos ad hilaritatem vocare, partim ut contrister meum ipsius. Di boni! non enim possum, quin exclamem. Antiquarium dicunt Taubmannum idque valere volunt in crimen, quam laudem tamen ego duco maximam et mecum omnes perite eruditi. Antiquitatem vero nomino Caesaris et Augusti saeculum, non illud cascum et intermortuum Saturni. Hoc exsibilo, illud exhibeo: hoc relĕgo, illud relēgo. Tale nunc genus hominum, qui antiquum ex podice Saturni abiectum vocent, quicquid ipsis non intelligitur. Sed quis litteratior hic risum moderetur? Si auctoritas tua paullo minor, Pr. A., responsum subiicerem hoc iudicio dignissimum; sed voci moderandum est. Non legerunt isti, quibus in tantum odio mea est fistula, quae biennio iam interiecto exaravi carmina? Non audiverunt, quae publice recitavi, quae typis vulgavi? monstrent unam in illis voculam cascam aut illatinam; prodeant; in os mihi dicant; non deerunt verba, quibus respondeam. Hoc scio, plurima antiqua in illis meis

1) Adriani Turnebi (1512—1565) Adversaria, ni fallor, requirit, primum edita Par. a. 1564.

Digitized by Google

invenient, barbara nulla; et hoc est, quod volui. Quid? immo dolerem, si non plurima; omnia sint antiqua volo, nova nulla. Sed calumniari scimus omnes, imitari nullus. Et nemo fere est, qui non potius calumniandi studio ad mea accederet, quam iuvandi; sed mera invidia est. Et nesciunt invidi isti me quoque id scire, quod omnes sciunt: nullum ignem absque fumo surgere, nullamque gloriam absque invidia. Scio, scio, et contra audentius ibo: tu modo mecum, o Christe, qui orphanum me mirabili ducis modo. Egone ut ad intermortuum et obsoletum illud revolverer saeculum, quo pridem tua inprimis opera sum liberatus? Minime gentium! Quid, quaeso, Aula illustris? Quid Maecenates mei amplissimi, si fama haec ad ipsos, quibus tanto conatu suspicionem istam de me eximere molitus fui? Expresse ad quosdam scripsi: Und wenn ich wiſſen ſollte, daß ich de industria ein barbaram, obsoletam aut illatinam (wie es itzt gebreuchlich mit dem Küchenlatein iſt) voculam ſollt in die Schulen einführen, ſo wolt ich, daß man mir die Finger abſchneide, damit ichs geſchrieben, quicquid invidi mei calumniantur, qui nec ipsi intelligunt, quid sit latinum, quid illatinum, cum nesciant, quid sit antiquum, quid novum. Haec et alia ad illos. Quid multis? Praesul amplissime, omnia ferre possum; paedagogulorum atque etiam ex isto litterario senatu nonnullorum iudicia ferre non possum in meis carminibus talia. Quid caecus de colore? Composuisse pedes non est fecisse poëma. Poëtae iudicent de poesi, non isti, qui mysteria huius nunquam intrarunt, nunquam degustarunt, etiamsi non vulgaria aliquin sapiant. Mallem plura, nisi plurima haec ipsa, quum praesertim illud adhuc Excellentiae Vestrae sit proponendum, cuius de caussa maxime hoc institui.

Digitized by Google

Dixerat nudius tertius quidam epigramma illud ad D. Cantorem de filiola recens nata adeo vocabulis antiquis ex podice Saturni desumptis concinnatum, ut ne verbum potuerit intelligere. Praesul amplissime, cachinnabar ingentem cachinnum, cum haec audiebam. Os hominis! Non credidissem tam rudem in poesi quemquam vel mediocriter litteratum, qui id non intelligeret. Fortassis est ideo peius, quia non intellexerunt? Ego carmen divini Horatii non satis intelligo: ergo eo peius. Ridet Apollo. Sed nunc comperio verum, quod ante dixi, non esse mirum eos poësin veram ignorare, qui mysteria huius nunquam intrarunt. Feram omnes criticos solide eruditos, omnes poëtas vere poëtas: si ulla vox in eo epigrammate aut illatina aut casca, ut isti loquuntur, utantur me nostrates suo arbitratu, et irae et invidiae tela in me coniiciant omnia. Ich bin ihnen doch ein Dorn im aug. Ego nec possum, nec volo adulari, si vel sit anima fundenda. Epigramma istud ex infimis nostrorum puerulus germanice reddere facile potuerit adhibito Dasypodio,[1]) et magni illi non verbum huius intelligunt. Sic enim audio. O Musae! Da veniam, Pr. A., dicam verba formalia. „Es war ein GeDus, Plus, Fus untereinander (dixerat), ich weiß der Teufel nit, was es war" et his in me graviora. Sed ego scio, Praes. A., quale dus, plus, fus hoc fuerit; nimirum Dusdaplus, Dufajus, Binichoius:[2]) quid iam? Hi sunt inventores Musicae figuralis aut certe restauratores, nisi insigniter mentiantur eruditi. Atque ipsi hi nominandi erant omnino in meo illo epigrammate. Nisi forte si historiam

1) Petr. Dasypodius, auctor lexici latini.

2) Cf. Fétis, Biographie des Musiciens. Brux. 1835. in nomm. Dunstable s. Dunstaple, Dufay, Binchois.

Digitized by Google

de Diogene apud vulgus imperitum narrare vellem, ut qui lucerna mero meridie accensa in foro differto hominem quaesisset; dicerem Marcum id Evangelistam fecisse, quia nomen Diogenis vulgo ignotum esset, hoc notius. Autores hi certe nominibus suis, suis inquam, non alienis nominandi erant. Potuissem eodem labore scribere pro Dusdaplo Demosthenem illo notiorem, pro Dufajo Pontium Pilatum, et pro Binichoio Caifam: hi fuissent notiores, praesertim rudioribus historiarum. Nullo igitur modo antiquitatis illius obsoletae hic accusari possum, id quod pueri quadrimuli intelligunt. Appello omnes sanae mentis testes. Dic mihi (repeto) ullam voculam in hoc toto epigrammate, quisquis es, quod non in probo et classico, qui quidem de hac materia aliquid attigerunt, autore legatur. Sensus etiam erat obscurior, inquiunt. Edepol rectissime; hoc ipsum volui. Sic enim scribi volunt epigrammata, nisi Catullus, Martialis, Scaliger et sexcenti alii doctissimi insane valde desipiant. Duo requirit epigramma, ut nosti, Pr. A., argutiam, brevitatem. Argutia nonne concinnat facile obscuritatem? Ita sane. Brevis esse laboro, obscurus fio; nonne? Vide, quaeso, vide, Pr. A. At meum illud neque argutum, neque breve, fateor. Et tamen magnis illis tantum peperit negotium, ut ne verbum intellexerint. Sed quorsum? Videre, inquis Pr. A., accusare praeceptorem. Nequaquam. De illo, non in illum haec dico. Veritas dicenda ubique; apud herum potissimum. Haec musica ad Musicum scripsi de musica; ad eum Musicum, cuius ex ore illa ipsa vocabula excepi, quibus sum usus. Si non omnes ea intelligunt, nil miror; fortassis non omnes musici. De tauris narrat arator. Laboro pro salute mea, solus ego; si tacuero, tacent omnes patroni. Quid cen-

Digitized by Google

ses, Pr. A., si haec fama ad Maecenates meos in Aulam iterum deferretur, quae facile in animis exulceratis prius insideret, quam benevolentiam mihi conciliaret? Hoc me urit, hinc in tantum incalui, Pr. A. Ich bin ein armer Wais; ich muß meine Wohlfahrt ſuchen und ſchützen, wo ich kann. Thu ich's nicht (nechſt Gott), ſo iſts geſchehen: novi hoc saeculum. Fac esse, Pr. A., me ad istam obsoletam antiquitatem revolutum: tum fuisset praeceptoris boni, discipulum prius monere, dehortari (hoc se fecisse, si dixerit D. M. Gurkfelderus, respondebo satis late longeque), non apud peregrinos et exteros nomen ipsius traducere et salutem simul in periculum trahere. Plura alio tempore.

Sic sentio, sic loquor, Pr. A. Eo sum ingenio, ut vulpeculam non tegam. Animo non dissentiam a lingua, quod nunc solenne habetur. Gott wird einmal ſolcher Füchſen heimblich Rhadſtüblein auch aufmachen, daß die arme Waiſen können hineinſehen, was für anſchlege wider ſie drinnen liegen. Confidenter sine adulatione pro me loquor et loquar in posterum, quae veritas iubet, quae conscientia permittit, quodcumque me fatum sequetur. Fiat voluntas domini, in quo omine desino. Deus O. M. Amplitudinem Tuam incolumem cum tota familia conservet. T[uae] D[ignitatis] devotus cl[iens] et discipulus F. T.

8. D. Ioach. Hoffmanno.

Ohe Taubmanne! (ita enim clamitas) tam cito mutatus, qui nuper columbas tuas numeris copulatas, nunc easdem liberas ad me missites? Tam cito poëtari desinis, poëtaster parvule? qui modo e terra prorepsisti, qui modo nusquam comparebas: nunc, cum compares,

Digitized by Google

fugis. Provocas me in harenam; ubi descendi, retrocedis hasta proiecta. Retrocedo Hoffmanne? Immo in penitissimos Barbariei recessus iterum me abscondidi. Quid ita? inquis. Tibi non dico; videre expetis. Audi tum, adesdum iocose Come et tu, Aesculapi; vobis hanc narrabo tragicomoediam; recedite paululum, secedite, ne Hoffmannus ille nostra dicta auribus suis politis clanculum ex insidiis aucupare et arbitrari possiet. Non ita pridem forte fortuna erepsi ex hoc ergastulo, aut, si mavultis, emanavi nescio quo siphone ex fontibus nostris; devenio in tempe longe amoenissima, fontium et fluminum copia celeberrima (in quibus etiam Hoffmannum educatum et nutritum a pueris ferunt: sed st! linguae moderandum est, ne forte audiat); accedo ad fontem qui mihi visus e cuncto numero maxime limpidus, eum nimirum, quem Ennius ille podager,[1]) vi nisuque poëta, consuevit appellitare poëtificum: labris primoribus guttatim inde sorbillo. Quid fit? Tota intus mens animi ex alto quasi sopore reviviscit; conspicio in vertice montis, qui fonti impendebat, templum augustum, ingens; subit audacia; adscendo, do me in illud clanculum: erat autem bene mane, dum haec fiebant. Sedebat in eo senior quidam meditabundus, lippus, pallidus, cui nomen erat, si memini, Spudaeo. Contueor ibidem ante aram exuvias inter quas et clypeum. Cuius sint, quaero; subiicit morosus senex: Palladis. Palladis? Ita, Palladis; inquit. Ubi ea autem? Iam curis lassa quiescit, inquit. Haec postquam accepi, rursum vorsum ad illas pauxillatim occipio accedere, quasi aliud quiddam spectans. Lux autem quia adhuc crepera, senex

1) „Nunquam poetor, nisi p o d a g e r. Ennius ap. Prisc. VIII, 14.

Digitized by Google

lippus; ego audax fio repente Taubmannus submanus[1]) (Plautisso) atque exscreanti similis cernuus nonnihil inclinor, rapto sub tunicam clypeum: hastam, quae longior et prominens, relinquo. Hinc recessim rursum vorsus pedes deduco; ostiumque ubi conspexi, exinde me illico protinam dedi. Revertor ad veterem praesepim, Fontes nostros salutares. Non mora; adapto clypeum; descendo in harenam: armis stolide fisus provoco Hoffmannum; certus statim seu ἑσταμένως rem gerere animumque amittere prius, quam loco demigrare. Hoc ubi Hoffmannus, poëta ille, conspicatus est, corripit hastam illam Palladis, alacrique impetu mihi it adversum. Protinus dentes mihi prurire[2]) occeptant, supercilium salire. Nondum tamen retrocedo, sed, ubi steteram semel, consisto. Ille imperterritus ingruit: ego quamquam mens animi iam tum praetrepidabat corculumque formidine frigutiebat, ordior pugnam, immineo desuper minitabundus. Ille haud segnis alte sublatam consurgit in hastam[3]) et ferit; verum enim vero vires effundit in auras irritas. Nihilominus tamen spiritus oris eius animusque, quem proflabat et turbo excussi et elusi ictûs velitatione sinuosa et impetu concitatus me paene ad terram dedere. Cum intelligo, quo res evasura sit, proiiceo clypeum, do me in pedes quantum possum Pegaseo gradu. Olebam enim iam malum meum, quod in scuto meo paratum erat tergo, et, ni me in fugam penetrassem meque domum in sublustreis Barbariei cavernas

1) Submanus, submanare (auferre) Plaut. Curc. III, 46.

2) „Perii, dentes pruriunt." Plaut. Amph. I, 1, 142.

3) Virg. Aen. IX, 749: „sublatum alte consurgit in ensem."

Digitized by Google

capessere properanter properassem; impetu vehementi hastaque Palladis fretus me aut interpolasset meumque os exossatum finxisset denuo aut tractim tactum in soporem ferreum et longum collocasset cum maximo totius Columborum et Columbarum prosapiae dehonestamento. Haec ita ut dixi, mi Come, mi Aesculapi, evenere mihi cum Hoffmanno, nec quidquam verborum (si diis placet) sum prolocutus perperam. Nollem autem haec foras eliminarentur: ne me, si ad eum delata fuerint hospitio pugnae[1]) (Plautisso iterum solens meo more) ad se venientem aliquando accipiat. Valete, abite, unde pedem attulistis. Ego autem ad Hoffmannum revertar. Salutem. Accepi, humanissime vir, cultissime poëta, illud tuum (sed quod nomen in eo ponam?) scriptum, Topazium potius dixero cordis tui, smaragdum animi tui, et

Ardentem iecoris mei pyropum,
Magnetemque animique sensuumque.

Hoc, inquam, accepi VIII. Cal. Octobr. Legi, et quia breve erat, relegi, atque iterum legi et relegi; ita e brevi factum est longissimum; quam longum autem erat, satisfacere tamen aviditati meae non potuit. Quin ori admotum deglutior penitus, helluo factus literarius. Nunc invidus nihil magis accuso, quam naturae iniuriam; quae buceris seclis[2]) incurvicervicio pecori eam facultatem indidit, ut possint absumptum pabulum in rictum sursum revocare et ruminando unius pabuli voluptate saepius et diutius fruisci,[3]) columbis vero candidulis et simplicibus id denegavit. Quam vellem, Hoffmanne, ad

1) Hospitio pugni accipere. Plaut. Amph. I, 1, 143.
2) Vide Lex. in v. saeculum.
3) Voluit fortasse frunisci.

Digitized by Google

tempus dumtaxat naturae iura supinari et inverti posse! Cuperem quidem (ita me Iuppiter amet Pecorarius) aut bovis tergore aut ovis vellere assumpto per prata et fumosa praesapia μοῦ μοῦ, βλαὶ βλαὶ cum caeteris istius modi cantoribus cantitare, (quid rides? quod boves cantant?) dummodo et hoc commodum adiunctum haberem, ut D. Hofmanni versiculos, quos devoravi, ruminare eo usque possim, donec me satietas illorum, orexi domita, cepisset. Saepicule os palatum, labrorum etiam marginem exteriorem leniter, lingua exerta demulceo, elingo, catuli in morem, qui iam primum e culina proruens (ubi oppido farctum et adipatum porcellum clanculum surreptum stomacho dedicavit) os lingit et suavitudinis praeteritae affectu et recordatione animum ulterius quasi pascit ac reficit. Hoc dico: tuum illud epigramma nisi gratissimum habuerim, edepol quantum est mortalium iure optimo habear ingratissimus. Dicis, quia te laudat: non edepol ob hoc (quamquam mihi cornea fibra non est), sed ideo quod a tanto viro ad me tantillum puerum est scriptum. Quantus in eo lepos, quanta comitas, quanti antiquae illius et Atticae Latinitatis radii eluceant (quam breve etiam sit) non dicam; non laudabo, ne iudicioli et pauperrimi ingenii culpa illa potius obscurem, quam collustrem. Tantummodo mirabor; caetera relinquam Leio et reliquis nostri saeculi luminibus depraedicanda. Audis facundus Cicero, audis optimus poëta; neutrum immerito. Laudes Hoffmanni praedicari audivi, cum nondum quis Hoffmannus, quis Cicero, quis poëta esset. O si mihi optio libera daretur, non sumerem illum Asinarium Leonida,[1]) sed ut vicissim par pari hostimentum dare

1) Leonida, conservus Libani in Asinaria Plauti.

Digitized by Google

possem[1]) Hoffmanno, hoc est, epigramma illius epigrammate dignum. Sed vides, optime vir, quam difficilis, quam negotiosa res sit atque adeo periculosae aleae plena *τὸν ξύοντα ἀντιξύειν*,[2]) id est (ut iterum solens plautissem) redhostire[3]) contra, ut merueris. Quare deponas, si quam spem fovisti te huiusmodi quidpiam a me in praesentia accepturum. Nihil affero praeter nugas quasdam iuveniles, quas pro tua aequanimitate qua clares plurimum, accipias, etiam atque etiam rogo et obsecro. Sed longius fortassis quam par est progredior. Verum enim vero perdura Hoffmanne; paucula adhuc restant, quae equidem praeterfluere facile sivissem, nisi canaliculus oblivionis obice opposito mihi obstructus fuisset: unde fit, ut non nisi per memoriam effluere possint, quibus hercule effluendum certissime sit. Maxime vero miror et demiror, quis tantam animi mentem mihi indiderit, ut ausus fuerim nugas meas recens etiamnum a follibus calentes tibi Hoffmanne (at cui viro!) obiicere. Leium dixi? alterum illum nostri saeculi Catullum? Ita opinor: ita factum. Sed vereor, ne, si is resciverit, inficias eat, quae ego de ipso asserui, Te esse doctissimum hominem, optimum poëtam, humanissimum virum dixit; sed illud non addidit, ut te, doctissimum hominem, optimum poëtam, humanissimum virum, importuna meorum versiculorum missione interpellarem aut molestarem. Id meum est; sic enim dialecticus ratiocinabar ex illo posteriori: si humanissimus, non dubito, quin et heic

1) Plaut. Asinar. I, 3, 20.

2) Scalpentem vicissim scalpere (fricantem refricare). Cf. Des. Erasm. Ad. p. 263.

3) Redhostire, vox L. Attii. Vide Tragg. Lat. Rell. rec. Ribbeck p. 124.

Digitized by Google

humanitatem suam exserat, ut meas columbas nugivendas[1]) serena fronte manuque obvia suscipiat. Quin immo non tantum eas humaniter suscipis, verum tanti facis, ut ob eas etiam indignum et nunquam antehac oculis visum tantopere amare incipias: quamquam mehercule ego omnia eiusmodi esse scio, ut ea (liceat Martialis[2]) verbis in re mea uti) „sulphurato nolit empta ramento Vatiniorum proxeneta fractorum". Quae tamen si penitius consideravero et quid mihi conciliarint perspexero, amorem nimirum tanti viri non possum non ex animo medullitus laetari et auro contra cariora ea habuisse. Et quam pauci etiam sint, qui, quae scribo carmina curent, ne dicam juvent, quia exsucca, quia simpla, quia mala, qualia nimirum Columbarum esse solent, tamen usum suum quantumvis mala habuerunt, ac revocant mihi in memoriam tragoediam poëtae Sulmonensis, cum narrat Phaëthontem curru paterno excussum fulminisque impetu in Eridanum pessum et praecipitem datum orbem terrarum incendisse Solemque tum gravi casu filii percussum obducto vultu consuetam Mundo lucem negasse; subiungit poëta:[3])

— „Incendia lumen
Praebebant aliquisque malo fuit usus in illo."

Ita et ego cogito, quantumvis rideor, mala qui compono carmina, ut Flacci[4]) verbis loquar, tamen et haec usum suum habuerunt et quidem non exiguum, dum huius tanti viri amorem mihi conciliarunt: aliquisque malis fuit

1) Plaut. Aulul. II, 5, 51.
2) Epigr. X, 3.
3) Ovid. Metam. II, 331.
4) Horat. Epist. II, 106: „Ridentur mala qui componunt carmina."

Digitized by Google

usus in illis. Quod vero eadem, Hoffmanne, eruditissimo tuo epigrammate ad caelum vocas, inculta culta, illepida lepida indigitando, benevolentiam grata mente agnosco; assumere autem quidquam eorum, quae a te tam laudato viro mihi tribuuntur, latae esset impudentiae. Fecisti enim ut poëta, omnium poëtarum exemplo, quibus quidlibet audendi semper fuit ampla potestas et qui nil sibi non assumunt; de Taubmanno Hoffmannum faciunt, deque Hoffmanno Taubmannum,

„Magnaque de parvis, de magnis maxima dicunt."

Itaque et hoc, ut a poëta dictum, non ut a Sibylla aliqua Camena aut Pythia ex lauro et tripode aut palmarum foliis profatum. Quod restat, admonitum te volo, si quidem monitoris eges tu, immo rogatum, ne respondeas hisce meis nugis. Sed quid rides? Ita dico, Hoffmanne, ne respondeas. Duplici enim culpa peccarem, si impudentius literarum (nugarum volui dicere) responsionem exigerem, cum una haec a me excusari vix possit,

Quod scripto sermone morer tua tempora longo.[1])

Magnum erit, si quae scripsi, te accepisse, magis, si placuisse, maximum, si gravioribus exemptum negotiis animo te defaecatiore redidisse ea intellexero. Vale meque ama, et vide, ut hic longiore tempore crescat amor, ut ad me scriptitasti. Iuva me, qua potes re et opera; temet ego, quibus possum precibus, iuvabo: deoque O. M. qui mihi inopi et orphano te tanto patrono et Maecenate prospexerit, gratias agere immortales nunquam cessabo. Ignosce, ignosce Hoffmanne, si quid li-

1) Imitatus est Horatium in Epist. II, 1, 4: — „in publica commoda peccem, Si longo sermone morer tua tempora, Caesar."

Digitized by Google

berius, si quid audacius, adde si quid impudentius, negligentius etiam effutivi, et scito hanc esse causam meae istius altae confidentiae atque adeo audaciae, quod epistola non erubesc[ere] minii nisi pota liquore. Quod vero liberis verbis [et] non ligatis potius ad te in praesentia scripserim, causa fuit praesentissima exspectatio dominorum examinatorum, quibus hercle aliquid dandum et asservandum puto, ne trutinae illorum impositus pendeam sine pondere floccus. Iterum vale. III. Non. Octbr. ex illustri nostro gymnasio ap. F. S. a. Christi 1588. Tuae H. deditissimus F. Taubmannus.

Digitized by Google

Digitized by Google